ALB. SCHULTENS
EPISTOLA PRIMA,

A D

AMPLISSIMUM

E T

EXCELLENTISSIMUM

V I R U M
F. O. MENKENIUM

P E R S C R I P T A.

IN QUA

NUPERA RECENSIO *GRAMM. ERPEN.*
CUM *PRÆFAT.* ET *ACCESSIONIBUS*
EX *HAMASA*, SUB EXAMEN
DEVOCATUR.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD JOHANNEM LUZAC,
MDCCXLIX.

VIRO

EXCELLENTISSIMO

F. O. MENKENIO.

PRINCIPI LITERATORI.

S. P. D.

A. SCHULTENS.

E miraberis, Vir Celeberrime, quum nullum, adhuc quidem, inter nos intercesserit Literarum commercium, Te publica a me Epistola compellari.

Mirari desines, atque venerationem qua illustre Tuum in Orbe Erudito Nomen pro-

ſequor id officii a me exegiſſe, ultro agnoſces, ubi cauſam hujus ſcriptionis Tibi expoſuero.

Acta Eruditorum Lipſienſia, *quæ ut præcedens ſeculum illuſtrarunt, ita hoc quoque noſtrum cum maxime condecorant, atque jucundo fructu Eruditionis undique decerpto ditant, Tuæ demandata ſunt Fidei, Religioni, Sapientiæ, Moderationi.*

Hæc omnibus ex æquo præſtare in operum Recenſionibus publicis *tam Tibi generoſo pectore fixum decretumque; quam cum dignitate ac ſplendore vitam tranſigere.*

Qui interim in tanta Provincia *ſuſtinenda alienis ſæpe oculis, alienis indiges mani-*

bus,

bus, effugere haud potes, quod nulli magnarum rerum Moderatores effugerint, ut non aliquando incidas in aliquem administrum, qui honestissimis Tuis desideriis ac votis, præclare de omnibus merendi, haud quaquam vel modestia, vel sinceritate, vel dexteritate respondeat.

Inter omnes autem partes Eruditionis *nulla his incommodis opportunior, quam* Literaturæ Orientalis *illa a conspectu ipso plurimorum remota fere regio.*

Nihil cujusquam Eruditioni, ac dignitati; inde decedit, quod in Arabiam *non accesserit; si modo judicium sibi de ea parte* Literarum *non arrogarit.*

Tu in universo ambitu Doctrinarum, &

Artium Humaniorum, *verſatiſſimus*, *idemque oculatiſſimus*, *haud illubenter fatebere*, *Te hac Literatura*, *extra fines orbis Eruditi ferme ablegata*, *haud imbutum*, *etiam de meis conatibus nunquam judicem ſedere voluiſſe*, *ſed totum hocce judicium arbitriumve iis permiſiſſe*, *qui aliquid hoc in genere poſſe ac pollere credebantur.*

Talem ſe Tibi, *Vir Excellentiſſime*, *offerebat Ambitioſulus ille*, *qui ſplendidiſſimam operam tanquam* Aldus *aliquis aut* Stephanus Arabicus, *magno cum paratu*, Orbi Erudito *oſtendere ac promulgare voluit in* Actis Lipſienſibus *A°. præterito*, *ſub finem* Martii *menſis.*

Hunc Tu, Profeſſoris Ling. Arab. Ex-

Extraordinarii *Titulo inter vos eodem illo anno donatum*, *haud dubie aptum* Spartæ *huic* Orientali *in* Actis Eruditorum *ornandæ*, *existimasti. Nil hactenus reprehendo. Fecisti*, *quod Nemo non fecisset*; *Tuo qui loco fuisset. Eam sibi Larvam circumposuit astutus idem & malignus*, *per quam perspicacissimorum etiam oculis potuit illudere. Tempus est*, *ut ea homini*, *inspectante* Orbe Erudito, *detrabatur.*

Id gemina Tibi, & Reip. Liter. *præstabit Epistola*, *ad Te directa*, *Vir Celeberrime*, *quod Tua potissimum intererat*, *huncce occultum Osorem Lucis*, & *veræ Eruditionis*, *quantocyus noscere*, *ne sub Tuis auspiciis grassaturam publicam in* A-

ctis

ctis *Vestris exercere pergat. Citius officio meo hac in parte functus fuissem, si hæ* Recensiones Librorum *anno prægresso a me* Editorum *temporius ad manus meas pervenissent. Nunc medio tantum* Julio *eas nactus hujus anni, medio* Septembri *fere hanc* Primam *ad Te Epistolam amicissime expedio;* alteram *quoque intra aliquot hebdomadas expediturus. Ego, quod meum erat effeci, & efficiam. Tu quod Te, & excellente, quam imples in* Orbe Erudito, *Persona dignum est, præstabis. Dabam* Lugduni *in* Batavis *a. d.* X. *Sept.* MDCCXLIX.

EPIS-

EPISTOLA

AD

CLARISSIMUM ET EXCELLENTISSIMUM

F. O. MENKENIUM.

Ingresſio cauſæ adverſus Lipſienſem Cenſorem.

Cenſor ille, VIR CELEBERRIME, qui *Critica* virgula me tetigit in *Actis Veſtris*, menſe *Decembri* anni MDCCXLVIII. a *pag.* 691. ad 704. itemque *Januarii* MDCCXLIX. a *pag.* 5. ad 20. cum candidiſſimi *pectoris puritate*, *Auctoritatem ſibi* adſtituit, ad *Univerſo orbe Erudito* agnoſcendam, & comiter venerandam, in *Recenſione Grammatices Arabicæ Erpenianæ*, cum luculenta *Acceſſione Carminum* lectiſſimorum quæ ex *Anthologia Hamaſa* excerpſi. Nempe in medio impetu *pag.* 697. poſtquam in omnem *immodeſtiam* ſeſe effudiſſet, *carpendo*, & multa *æru-*

gine arrodendo ea, in quibus *Hospes* verſatur, & quæ nec attigit unquam, nec intelligere vel valuit, vel voluit, *Origines* innuo *Hebræas* & *Arabicas*, ita Victorem ſe inferens, aſſurgit, „*ſed nimii ne ſimus in convellendis ſatis jam* „ *per ſe RUINOSIS, ad tædiumque ſubtilibus, accingamur* „ *potius ad opus utilius & majoris momenti, hoc eſt, revoce-* „ *mus quædam Arabicorum carminum, recens editorum, ſub* „ *CRITICUM EXAMEN. Quod CONSILIUM ne ſint* „ *iniquiores, qui pejorem in partem interpretentur, monendi* „ *ſunt, nos illud neque ob MALEVOLENTIAM aliquam,* „ *neque ob AMBITIONEM, ſed in Philarabum gratiam,* „ *qui Monumentis illis utentur, ſuſcepiſſe, quo nos AMOR* „ *COMMUNIS BONI, ſtudiumque augendæ rei Literariæ,* „ *& oblata occaſio, invitabat. Omiſſis itaque illis, quæ in* „ *hoc Libro, magno numero, proſtant, laudabilibus & eruditis, quæ Lectorem neminem effugere poſſunt, ea tantum* „ *quæ animadverſione indigent, exponemus; cum APTIO-* „ *RES huic operi NOS ESSE, credamus, QUAM SUNT* „ *ALII*; & *ADMINICULIS gaudeamus, quæ paucis in* „ *promtu ſunt*; & *quorum COPIAM EI, QUI HÆC* „ *SCRIBIT, Ipſe Cel. SCHULTENSIUS olim fecit.*" Oppugnabor ergo nunc tandem ab Eo, qui in *Arabica* lectione me *Hortatore*, me *ſtudiorum* Ejus per *octennium* ferme *Suſceptore*, in *Academia Batava*, me *copiam MSS. Codicum*, & ex mea ſupellectile, & præſertim ex *Bibliotheca publica* ſuppeditante, munifico indultu Ill. & Ampliſſ. Curatorum, quibus peregrinum commendaram, eo pervenit, ut inter *verſatiſſimos*, pro *uſu exteriore Linguæ*, numerari poſſit. A Tali, inquam, tandem oppugnabor, qui ut ipſe prædicat, a me ipſo *inſtructus*, *ornatus*, *armatus*, propterea ſe *APTIOREM*, *quam ſunt ALII*, verecundiſſime profitetur, *verecundiam* cumulaturus, omneſque in admirationem celſæ ſuæ virtutis rapturus, ſi *cæteris* quoque *omnibus* ſe *OBLI-*

Perſona, Magnifica qua ſe induit.

Ejus verior Character.

OBLIGATIOREM esse adjecisset, ad tantum hocce munus officiumque *Orbi Erudito* præstandum, sine ulla *malevolentia*, sine ulla *ambitione*, ex *sincero communis boni amore*, & *studio augendæ rei Literariæ purissimo*, cui utrique Ego videlicet nimium quantum detriverim, & tenebras, quæ tantum *vindicem veritatis* postulent, offuderim.

Antea enimvero oppugnabar a viris *Theologis*, vel *dignitate*, vel *Auctoritate* etiam, non una in *Academia Belgii* nostri florentibus, atque conspicuis; qui *Arabica* vix ac ne vix quidem vel *a Limine* salutarant, atque eo ipso *omnia* sibi *derogantes*, causa cadere debebant. Nunc vero, immutatis vicibus, impugnabor ab Eo, qui sibi *omnia arrogat*, seque suis verbis in supremum culmen ac fastigium *Orientalis Literaturæ* evehit. *Arrogantia Censuræ.*

Ex illa *Arce*, quam insedisse sibi videtur homo minime *vanus*, aut *ambitiosus*, *ingens* illud *studium*, quo flagrat, *Philarabas*, atque adeo universam *Remp. Eruditorum* demerendi, sibique ad *immortalem Nominis gloriam* devinciendi, *splendidissime* demonstrat, censura sic satis acri & severa destricta in male sanum meum consilium, quod *Excerpta* ex *Hamasa*, *non seorsim* ediderim, sed *Grammaticæ Erpenianæ* annexuerim „ *quoniam*, inquit, *illa Excerpta non spectant* „ *ad Grammaticam*, *tyronum certe captum excedunt*, *in quo-* „ *rum tamen usum*, & *gratiam*, *tota hæc opera insumta fuis-* „ *se censenda est.* " Sic in arenam adversus me descenditur *pag.* 690. Judicem oculatissimum! qui non nisi pro *tironibus* editum arbitratur immortale illud opus, ad quod tanquam unicam *Cynosyram* cursum suum dirigunt *Tyrones* juxta & *Veterani*, atque ob quod neglectum ipse hic Censor, suis in scriptis *infra Tyrones* sæpe *jacere* deprenditur ab iis, qui Artem, parum ab homine volatico excultam, penitius introspexerunt.

Interim „ *mirum sibi accidere* dicit ibid. *viro acris judicii*, „ (il- *Protervia ejusdem.*

„ (illudit etiam, atque os mihi ſublinit vaframentum) „ *placere potuiſſe ut Auditores ſuos*, & *LECTORES*, „ *a fabulis Locmanni immani ſaltu raperet*, & *tanquam* „ *Trygæos quosdam Ariſtophanis e terra in cœlum per machi-* „ *nas ſublevaret.*" Ut quid ille *ſarcasmus*, nil niſi acerbitatem meram ſpirans, ſibi velit, cuivis in promtu ſit, ſciatur in *Comici Pace*, ſtatim ad initium, induci *Trygæum* quendam, qui quum *iter affectaret in Cœlum*, ut *Regiam Jovis* adiret, in ejusque ſecreta ſe penetraret, λεπτὰ κλιμάκια *ſubtiles ſcalulas* frabricarit, quibus *ſe altum in æthera gradatim ſublevare* moliens, *præcipite relapſu caput ſibi contriverit.* Quibus ridicularia illa *ſcena* non ignota, quid ſpurci & tetri ibi ſequatur, ſciunt. Hoc nemini non honeſtiori, nedum humaniori, ſtomachum commoveat neceſſe eſt. Ego, *Camarinam* iſtam relinquens iſti homini, ad monelam ſapientiſſimam, qua me impertitum voluit, prævertor. „ *Conſultius*, *Noſtra quidem ex opinione*, *fuiſſet acturus*, „ *ſi edendo varii ARGUMENTI* & *ſtyli opuscula*, *quæ ſane* „ *ipſi multa in promtu erant*, *juventutem quam erudit* Aca- „ demicam, & Arabismi *cultores*, *a facillimis ad magis* „ *magisque difficilium intelligentiam*, *paulatim* καὶ ὁδῷ, *ut* „ *Græci ajunt*, *tanquam per gradus eduxiſſet*". Hunc adeant unicum ſtudiorum Directorem, quibus aliquid in lucem expromere decretum: ut *Methodo procedere* ab Eo discant, qui *Conſeſſum Haririi* in lucem edidit, nec *Arabice* nec *Latine* adhuc intelligens; & inter nos *Leidæ* aliquanto jam firmior, ac paratior, in *Tarapha* cinnum dedit tam inconcinnum, ut ſibi ſoli hactenus in *opere* ſuo, non indocto quidem illo quoad *Poëticam Lectionem*, ſed vaſto & indigeſto ut quod maxime, placuiſſe reperiatur.

Singularis vecordia.

Poſt primum illum pedatum, in *Præfationem* ita inſilit: „ *PRÆFATIONE illa GRANDI non quidem carere malle-*

„ *mus*,

„ *mus, cuperemus tamen alibi legere. Nam ne illud commemo-*
„ *rem, quod Emtores gravet viginti duas plagulas crassa SAR-*
„ *CINA; id sane PALAM est, in LOCUM NON SUUM*
„ *incubuisse.*" En *Acris judicii* hominem, qui etiam quæ nec legit, nec cognovit, dijudicare valet. Itane vero *in locum non suum?* Atqui nulla *aptior*, nulla *opportunior*, *sedes* tali Dissertationi assignari potuisset.

Defendo in ea eximios Viros, qui *Arabica* primi tractarunt in orbe *Christiano*. In primis J. *Scaligerum*, ejusque non degenerem discipulum, *Erpenium* nostrum, qui in *Academia* nostra fundamenta jecerunt universi studii *Arabici*, quod ubique terrarum deinceps, & orarum, seculo XVII. læte effloruit. Revinco quoque in eadem, confutoque *errores Capitales*, qui a *Regia* ista *via* ad præcipitia iterum abduxere, & *Theologos* qua *Nostræ*, qua *Augustanæ* confessionis *patronos* nacti, *Arcem Orthodoxiæ* etiam inscendere ausi sunt; sub speciosissimo *Titulo Linguæ sanctæ*, cui a multis circundata insuper *Scriptionis* & *Lineæ sanctæ* Infula. *Ea nunata & confutata.*

Hos ad *Dialectos*, *Aramæam*, & *Arabicam* accedere jubeo, ut *Fanatismo Kabbalistico* liberentur, atque *Christiani*, *Christianæ Revelationis* fundamenta ac firmamenta, (in sinu ridentibus *Judæis*, omnibusque *Synagogæ* statoribus) non amplius imprudentes, & cæco Zelo abrepti, labefactent.

An hoc forte hominem ussit? quem *Revelationi* parum aut nihil deferre, ipse suomet infra indicio prodet, suomet calamo consignabit. An potius, quod fere crediderim, *vægrandem* illam *Præfationem* ne quidem legit? si legisset certe, præterire eum non potuisset, quod ad finem *pag.* CLXIV. extat: „ *Sed hæc & alia complura, hanc in* *Turbidi ejusdem fontes.*
„ *materiam, alias. Nunc vela colligens verbulo CONSILII*
„ *MEI rationes expediam, atque de Accessionibus pauca sub-*
„ *texam. Deprehendi per universum professionis meæ cursum,*

 „ *non*

„ *non aliunde graviorem* Literaturæ Orientali, *quum præ-*
„ *cedenti seculo pulchre efflouresceret, maturioresque usque pro-*
„ *mittere videretur fructus, injectam esse securim, quam per*
„ *infelicissimam illam imaginationem de LINGUA & SCRIP-*
„ *TIONE SANCTA, qua HEBRÆI olim distincti, atque a*
„ *CHALDÆIS, SYRIS, & ARABIBUS* præsertim, *se-*
„ *clusi fuissent. Hoc quum initio seculi XVII. vel indoctum*
„ *plane, vel FANATICUM censeretur, post infaustissimum*
„ *illum conflictum inter* Capellianos & Buxtorfianos, *mu-*
„ *tata rerum facie, si non doctum, RELIGIOSUM saltem*
„ *maxime cœpit videri, eo usque ut sensim sine sensu superva-*
„ *cuum judicaretur DIALECTIS, tali SANCTIMONIA*
„ *haud insignitis, operam aliquam impendisse.* &c. *Ne præ-*
„ *textu res careret, animose sollicitari cœpta DIALECTO-*
„ *RUM AUCTORITAS, easque vel* degeneres *esse, vel*
„ novicias, *non sine vehementia pronuntiatum, ab iisdem*
„ *scilicet, qui eas nunquam salutaverant*". Hæc esse duo illa maxima sufflamina, quibuscum hodiedum colluctatur *Literarum Hebraicarum* feliciter susceptum præcedente seculo, sed nostro hocce vix suscitandum *studium*, nemo ignorat credo, præter Nostrum, qui *sacri Codicis Dialectum* præ *Arabica* ita semper contemsit, ut ne cura quidem ulla eam unquam voluerit dignari.

Priori *sufflamini* removendo *Præfationem* meam destinatam indico *pag.* CLXVI. per quam discussio ante *Comm.* in *Prov.* inchoata compleatur.

Posteriori remoræ, *immodestæ* non minus quam *molestæ*, obmovisse me dixi *Excerpta ex Anthologia Veterum Poëtarum:* quæ *meracissimum Arabiæ genium spirantia, degeneris & noviciæ* maculam *Arabicæ Dialecto* inspersam, ab iis, qui ne *Elementa* quidem ejus percepere, præsentissimis documentis depellant.

Dicant jam æqui Arbitri, an *Præfatio* nostra, *Emtorem* gra-

gravatura etiam, *in locum non ſuum incubuerit?* judicent an *Excerpta ex Hamaſa* ſine ullo conſilio huic *Grammaticæ* ſint ſubnexa. Judicent denique, an utraque *Acceſſione*, *Hebraicæ* & *Arabicæ Dialecti* ſtudium ſimul non commendetur quam potentiſſime? Et tamen interrogare audet a ſe creatus cenſor, „ *Arabicæ Grammaticæ cum Rabbinorum* *Frontis*
„ *commentis commune quid eſt? Elementorum iſtius Linguæ* *perfri-*
„ *cupidi horum certe nihil requirunt, neque expectant magis*, *ctæ ſpe-*
„ *quam ab editore HORATII* (*exemplum enim allegandum* *cimen.*
„ *eſt*) *diſſertationem de CABBALA probabiliter expectent* ". O frontem perditiſſime perfrictam, quæ ne orbis quidem Literati ulla ducatur verecundia! *Grammatica Arabica* omnes *Cabbaliſtarum* inanias & veſanias denudat. *Grammatica Arabica* omnes offucias *Linguæ* & *Scriptionis Sanctæ* dispellit. *Grammatica Arabica Theologos* & *Philologos* ſacros, per *Belgium*, per *Germaniam*, per *Helvetiam*, per *Hungariam*, *Daniam*, *Sueciam*, omneſque adeo Regiones, quos *Cabbaliſticum* iſtud fermentum plus minusve adflavit, adverſus iſtas præſtigias emunit, atque in poſterum intactos præſtat; & tamen hujus *Zoili* judicio talem *Diſſertationem* præfixam *Grammaticæ Erpenianæ* non magis a me expectaſſent *Arabicæ Linguæ* cupidi, quam ab *Editore Horatii diſputationem de Cabbala.* Cur *Arabicæ* tantum, excluſa *Hebræa?* Haud dubie quia ipſe, quum *patrocinio* meo in *Academia* noſtra tot per annos gauderet, adverſus ſincera mea monita & præcepta, reliquas omnes *Dialectos*, *Hebræam*, *Chaldæam*, *Syram*, &c. ſtrenue neglexit: quid *neglexit* dico? ex alto *deſpexit:* & ne primoribus quidem labris attingere dignatus eſt; eas a *Genio* ſuo abhorrere dictitans: quem ego *peſſimum* ſane *genium* ſerius intellexi; quum jam jam a nobis abituriret.

Contemta hunc in modum, atque in *Morboniam* faceſ- *Præſti-*
ſere hinc juſſa *Præfatione*, quæ ſanandis malis ulceribus a *giæ,*
me *quibus-*

Orbi Erudito illuditur. me *laboriosissime* & curatissime fuit conscripta, (illo tam *laboriosam refutationem adhibendam* fuisse *ad aperte vana* & *absurda* negante) ita pergit *pag.* 691. „ *Cum itaque in reliquis Libri* „ *bujus partibus nihil sit, quod nos valde moveat, defigemus ob-* „ *tutum nostrum in ea sola parte, quæ sola studium & admira-* „ *tionem meretur, quæ sola recens & illibata est, ob quam so-* „ *lam Magnifico & Munifico Editori gratias immortales debe-* „ *mus* ". Ridiculæ enimvero laudes, congestæ in eum, in quem mox maligni & virulenti impetus parantur. Quid hæ sibi velint, non omnes forte assequuntur, mirabunturque, ut in Fabula est, uno ore calidum frigidumque simul proflari. En fontes. Non ignorat homo quam POTENTIBUS VINCULIS mihi obstrictus vivat; non ignorat quoque, quam turpis inter honestos censeatur *INGRATI* macula. Hoc *stigmate* ne frons ejus effrons ab omnibus inuratur, plenis buccis laudes crepat illius, quem mox ita abjicit, quasi *existimatione* omni *Orbis Eruditi* exutum cuperet. Primum *calidius* genus, quod despicio, caudam vulpinam quatiens venditare gestit pro *præmio nutricationis*, atque adeo pro *insigni specimine pietatis* erga *Eum*, qui *in sinu fovit* hominem, dicam? an ....? Altero *frigidissimo*, Ambitioni suæ deservit, semet *Magnificum virtutis & veritatis cultorem* ostentans, qui etiam *alteri parenti*, & *studiorum altori*, arma inferre decreverit, jam inde a *biennio*, (ulterius necdum adscendo, adscensurus si necessitas exigat) ne *Respublica Literata* amplius *quicquam detrimenti* a *Schultensio patiatur*. Pientissimum utique facinus, quod non nisi a *Magnificis* & *Generosis* potest præstari. Has similesque cogitationes vapido sub pectore volvere vulpeculam, universus utriusque *Recensionis* tenor omnium oculis ingerit. In hocce quidem, postquam *Buccinatorem* egisset ultra modum & modestiam inflatum, ita *splendidum* illud *Elogium*, quo *Orbi Erudito*, *mibique* adeo *ipsi* oculos

los se præstrictum opinatur, in *Vituperium* convertit, atque quem alte nimis extulerat, mox dejicit, eidemque tam superbe insultat, ut nunquam insultantius quicquam, aut impudentius, vel a profligatissimo mortalium expectari queat.

Dolosæ laudis præconium.

Nempe *pag. 692.* ita *præconium* suum prosequitur, vere *præconium*, quippe quo vivus, vidensque, *hastæ sectoris* subjicior, & cum supellectile mea, ac merce omni, distrahor atque divendor. „ *Suppositæ Arabico textui, & Latinæ interpretationi, notæ id agunt præcipue, ut vocum „ GRAMMATICAM ANALYSIN perhibeant, & ORIGINES indagent, atque inculcent; hoc est primas vocum „ significationes, vel, ut rectius dicamus; SIGNIFICATIONUM MATRICES, e quibus ceteræ, utcumque diversæ „ & abhorrentes, emanarunt* ".

Quid Origines intendant.

Adhuc quidem *Lectores* judicabunt me *magnifice dilaudari*, qui tam insignem operam in *Notis* illis navaverim, quæ & ad *exteriorem*, & ad *interiorem Linguæ Arabicæ* notitiam præluceat. Ecquid certe *utilius*, *fæcundius*, *uberius*, in *universa* omnium *Linguarum palæstra?* Ecquid *nobilius*, *excelsiusque*, quam *primas vocum significationes*, vel potius, ut semet corrigit, *significationum Matrices* eruisse? Nemo, nemo, *Literatus* vel *illiteratus* juxta, ambigat, quin hoc *Centrum* constituat & *Meditullium scientiæ* istius; atque adeo *medullam* ipsam & *animam Linguarum*, sine quo *cortex* tantum habetur, vel & *Corpus*, sed *corpus mortuum*, præsertim si quæ *Lingua* non *vivo* amplius *usu florescit*, sed penitus *defloruit*, atque extincta est.

Origines ergo *Linguæ mortuæ* enucleasse, est, ei *vitam*, & *vigorem* & *vera* sua *Lumina* atque *Ornamenta* reddidisse. Etiam *vivæ* per easdem *nativum decus* & *pondus*, ad quod pauci attendunt, pauciores penetrant, refunditur.

Nemo nunc præsagire queat, hoc tantum *culmen scien-*

tiæ, & *experientiæ* ſimul, quod ſua ſe dignitate & luce nemini non intime commendat, ex altiore adhuc *Culmine inſcitiæ*, & *faſtus*, deſpectari. En verba hominis, haud dubie neſcientis quid cogitet, quid ſcribat, quid chartis illinat, atque in publicum etiam extrudat. „ *Superior iſtæc* „ *opera* (nempe qua *Grammaticam*, manu parciore tamen, „ quam uſus *Arabizantium* poſcit) *Nobis quidem ſupervacanea videtur: nam temerarii ſint, neceſſe eſt, qui, rudes GRAMMATICÆ vocum RESOLUTIONIS, carmina tamen ejus indolis attrectare audent, cujus ea ſunt quæ jam manibus & ſermone tractamus. Poſterius autem inſtitutum* (*in ORIGINES* vibratur telum) *quod, ut inter omnes conſtat, tanto fervore urget* Cl. Schultenſius, *ignoſcat nobis* vir maximus *ſi libere fateamur, NOS illud neque tam UTILE, neque tam NECESSARIUM exiſtimare, quam ipſi videtur eſſe*". Trutinemus *pericopas*, quæ alto ſupercilio conceptæ, tantum non omnia mea, ſuperba ſpongia delent. *Primo* antiquam illam contumaciam obtinet, qua mea monita ſprevit, quum ei *Tarapham* edituro Auctor eram, ut verſioni accuratius ad *Arabicum textum* expreſſæ, *notas* quoque *Grammaticas* intertexeret, quæ *Linguæ Studioſis* ſubſervirent ad promtiorem *ardui Poëtæ* intelligentiam; ea ferme via, qua ego, cum in *Haririi ſex conſeſſibus*, tum in aliis ſcriptis difficilioribus illuſtrandis uſus eram. Conſilium adeo homini ſui cerebri non arriſit, ut plane contrarium in tramitem deflexerit, & ne quidem lacinias obſcuriſſimorum carminum, in *Notis* inſertas, *Latine* convertere dignatus ſit. Jacet proinde, ob editoris incredibilem hancce *vanitatem*, opus illud, nec Emtores invenit; quos bene multos nactus fuiſſet *Librarius*, ſi paululum modo ad captum juniorum ſeſe accommodare voluiſſet. Nil mirum proinde, ſi, ut ipſe ad me hoc ipſo anno perſcripſit, forum *Arabicum* friget *Lipſiæ*. Nemo lubenter

Præſtigiæ oculis offuſæ.

Eæ detectæ & detorſæ.

ter adverſus rupem præruptam nititur ſolus: ſi fida & firma manu ſublevetur, etiam in cacumen tandem enititur. Mihi quidem ut ab *Erpenio*, *Pocokio*, *Golio* in adoleſcentia per *Grammaticas reſolutiones* in altum attolli jucundum fuit olim, ita *Juventuti Academicæ* eandem opem debeo, & lubentiſſime præſto: adeo nihil mihi propterea decedere autumans, ut forte etiam aliquid accedat. „*Atqui*, infit, „*temerarii ſint*, „ *qui rudes Grammaticæ vocum reſolutionis*, *talia carmina* „ *attrectare audeant*". Super petram ſibi videtur *Nidum* fixiſſe, ad quam neminem ſenſim ac pedetentim ſubſidiis *Grammaticis* evehi permittit. Atque hæc quidem plus ſatis ad futile cavillamentum. Sciatur tamen præcipuam meam curam incubuiſſe in *profundos* & *magnificos ſenſus* meorum *Poëtarum*, quos ex *Taurizii* & *Merzoukii commentariis*, ad omnem ferme verſiculum, ubi neceſſe fuit, eorundem verbis appoſui, ex meoque etiam penu adornavi. Cur hoc ſupprimit Recenſor? *Acta Eruditorum Lipſienſium* inſtruere in *Orientali* eorundem *provincia* aptus natus, ſcilicet! *Vis veritati illata.*

Sed criminatio hæc *Grammatica* ludus jocusque, præ ea, qua in *Origines* meas invehitur. Eas *quanto fervore urgeam*, *notiſſimum eſſe* ait. Sane vero: nam *Origines*, ut ſupra viſum, lumen accendunt *Rhetoricum* omnibus in *Linguis;* ſine quibus nec gratia, nec dignitas earum ſatis introſpicitur, etiamſi forte *externus Earum uſus* teneatur. Has in *Lingua Hebræa* adhuc deſiderari, nemo non agnoſcit, qui vel primis *Rhetorices* elementis eſt imbutus. Hinc ſtudium illud *Metaphyſicum* ſignificationes *Formales*, quas vocabant, excudendi ex officina imaginationis, quod *Bohlius* in ſeculum elapſum, *Guſſetius* in noſtrum hocce cum maxime volvens, invexit; ſpretis veris & nativis Fontibus, omnibusque *Dialectis* res ſibi ſuas habere juſſis. Hoc ſtudium iſtis ſub *Anteſignanis* per univerſam *Europam* fere nunc propagatum. Hinc celſior adhuc volatus extitit *Hieroglyphi-* *In Origines impetus converſus.*

cus eminentium ſane in *Germania*, in *Suecia*, & alibi, ingeniorum; *Belgio* etiam noſtro aliquantulum inde contacto; quod tamen nunc per lumen *Originum* noſtrarum diſcuſſum. His aliisque, nempe, *Hypotheſibus* rem *Hebræam* haud parum tardantibus, occurrere conatus ſum, *duobus* illo *titulo inſcriptis voluminibus*; itemque preſſius adhuc, concinnato *opuſculo de Defectibus hodiernæ cognitionis in Ling. Hebr.*, *eorundemque ſanandorum tutiſſima via ac ratione*: preſſiſſime denique, delineata *via Regia Hebraizandi*; per quam *Originum* fundamenta, & firmamenta, ex meditullio *Artis Rhetoricæ*, ad *Octodecim canones*, *Ratione* & *Experientia* ſubnixos, ita adſtruo, ut ne digito quidem tangi, nedum quati, ac convelli queant. Cuncta hæcce ac ſi non extarent in *orbe Erudito*, jam ante triginta annos & ultra initio illarum demonſtrationum evictionumque facto, alto ſilentio ſupprimit, atque occluſis oculis huncce formidoloſum impetum in me, meaque fere omnia, edit *Andabatarum* hujus ſeculi Anteſignanus: „ *Ignoſcat Nobis* Schultenſius, „ *ſi libere fateamur*, *NOS illud inſtitutum ORIGINUM* „ *neque tam UTILE*, *neque tam NECESSARIUM exiſtimare*, *quam ipſi videtur eſſe*". Habet *Schultenſius*; actum eſt: ilicet. Exequias cui ire lubet *Schultenſio*, funus Ei in *Actis Lipſienſibus* ducitur.

Videamus tamen. *NOS* inquit homuncio; Et quinam illi? unus ne an plures? *cæci de coloribus* profecto; de *flore* & *honore Rhetorices Hebrææ*, quibus vix *facies* ejus exterior innotuit.

Jugulata jam dudum criminatio.

Jam ante tria luſtra admodum, in *Diſputatione ad Origines* quæ *Tom.* II. *Cap.* V. & VI. comparet, plumbea hæcce judicia, centies centiesque in me deſtricta, produxi *pag.* 130. & *pag.* 165. ita confutavi. „ *Finem facio in objectiuncula quæ agmen claudebat*, decima quinta; *vix OPERÆ PRETIUM eſſe*, *ut tantum laboris & temporis*, „ *ſi jam moleſtia devorari queat*, *in vaſtiſſimum ſtudium*

„ L.

„ L. L. O. O. *impendatur ad ORIGINES verborum vesti-*
„ *gandas. Sane, si nihil aliud ageretur quam Etymon quod-*
„ *dam* " (nudum videlicet, & sceleti instar habens) „ *si-*
„ *ne magno veritatis damno hisce posset supersederi. Ast agi-*
„ *tur de FORMALI significatione Radicum, id est, de*
„ *MEDULLA ipsa, & ANIMA Linguæ. Agitur DE*
„ *EO, quod nullus non Enarrator Verbi Divini, nullus non*
„ *Interpres, officii sui ducit, non tangere tantum, sed etiam e-*
„ *nucleare. Agitur DE EO, quo rite constituto, VER-*
„ *BUM Dei in omnibus versionibus UNUM erit; quando*
„ *nemo aliter vertere vel poterit, vel sustinebit, quam vis &*
„ *indoles LINGUÆ ORIGINALIS, ad liquidam clarita-*
„ *tem & evidentiam productæ, admittant. Huc lentis qui-*
„ *dem sed certis passibus providentia pergit. Regnum Dei in*
„ *cursu est. Ejus complementum erit Lucis summum incre-*
„ *mentum; ad quam omnes tenebræ discordiarum, quæ Chri-*
„ *stianos scindunt, dispellantur: ut NOMEN VERBUM-*
„ *QUE CHRISTI UNUM sit, universo in orbe terrarum*".

Decentissime ergo illud, *ignoscat Nobis - - - - si libere profiteamur, Nos* &c. &c. Ignovi, quum adhuc clientem meum agens, inter discipulos meos tales voculas jam tum spargeret: etenim omnes eum explodebant, quippe quibus constaret hominem *Hebræa* nunquam degustasse; atque ultra sphæram evolare. In præsenti eandem illam atram *loliginem* non privatim amplius, sed publice grassantem, vel sic contemnerem, nisi succurrendum foret minus *firmis* in *Orientalibus*; ne ab eo, quem *firmiorem* forte arbitrantur, circumveniri queant. Cernunt quidem, quibus oculi in fronte, ex impotentia animi, & nescio qua importunitate, qua in *Origines* meas insultat, quam profligatam causam agat: non tamen omnes forsitan continuo discernunt, eum dum *se* ut magnum quid *extruere* conatur, suismet se manibus *funditus destruxisse*. Lege, & senti.

Arrogantissima modestia.

 „ *Dis-*

Primum telum contra Origines intortum.

„ *Difficultas qua laborat iſtud ORIGINATIONUM ſtu-*
„ *dium, ſi cum fructu comparetur inde redundante, tam illa*
„ *ſuperet*, *ut* operæ pretium *ferre non videatur: nam qui*
„ *digne HOC OPUS EXEQUI velit, ille ut Grammaticos,*
„ *& Lexicographos, & Poëtas omnes, omnemque Linguæ Ara-*
„ *bicæ Græcæque ſimul & Latinæ ambitum in promtu & in nu-*
„ *merato habeat, neceſſe eſt*". Quid audio? an *operæ pretium ferre* non videtur id ſtudium, quod *penetralia Linguæ Hebrææ* reſerans, *Rhetoricamque* ejus *gratiam*, *ubertatem*, *dignitatem*, ac *potentiam*, recludens, *clavem* porrigit *ſacri Codicis*, ad ejus *genuinos ſenſus*, cum *luminibus* & *ornamentis nativis*, quibus præfulget, pandendos? Apparet materiam *Originum*, earumque *ſuaviſſimum fructum*, nunquam delibasſe, qui eas faſtidiunt atque deſpectant. Sed quid hoc? quod ſubnectatur eodem quaſi halitu. *Qui condigne hoc opus exequi velit.* Datur ergo tale *OPUS*; & quidem *VIRO DIGNUM*: ſubditur enim, *ille ut Grammaticos*, *Lexicographos*, *& Poëtas omnes*, *omnemque Linguæ Arabicæ*, *Græcæque ſimul ac Latinæ ambitum perambulaverit*, *neceſſe eſt*. Ardua quæ Pulcra! ſed &, volentibus nil arduum! Non defugit laborem, cui labor eſt quies, vita, deliciæ. Multo minus adhuc, ſi tanta præmia ſint propoſita, quanta attigi. Faceſſat proinde objectiuncula IGNAVO potius digna, quam laborioſiſſimo homine, tum, quum meis in ædibus *MSS. Codicum* copia circumflueret. Si tunc temporis & occaſionis *Originationem*, id eſt *Rhetoricam* omnem non reſpuiſſet, ſi *Arabicis*, *Græcis*, *Latinisque*, in quibus, ſi a *Rhetorico*, & *Critico*, *lumine* diſceſſeris, ſic ſatis profecerat, *Hebræam* quoque *Dialectum*, una cum *Aramæa*, ex inſtitutionibus meis imbibere voluiſſet, jam haud dubie ut ſtrenuus *Laudator*, ſic *Propagator* quoque extitiſſet *Originum*, quæ ei ex divite penu, non confuſiore illo, quo nunc ſuperbit, ſed digeſto, undique ſub manibus affluxiſſent; ſeque ultro inſinuaſſent.

Nunc

Nunc quum iſtum fructum dulciſſimum & eminentiſſimum ſuæ *Eruditionis* ſibimet inviderit, invidet & infrendit iis, qui eodem ſumma cum voluptate fruuntur, aliisque fruendum præbent.

Hoc omnes perſentiscent ex altero hocce incurſu in *Origines* dato *pag.* 693. „ *Sæpe implicatur* Schultenſius *in argutias nimis acutas, & in frigus deſinentes, paucorumque* „ *PALATO accommodandas*". Scio enimvero noſtri *Cavillatoris palatum* ſemper ad hæcce intimiora, & quæ *altiorem Rhetorices* tincturam requirunt durum, quum inter nos verſaretur, quin ſurdum fuiſſe; jamque illud totum deprendo ita obſurduiſſe, ut ad verum ſenſum guſtumque ne *Arabici* quidem, *Græcique* ac *Latini ſermonis*, unquam excitari, nedum exacui poſſe videatur. Scio quoque non eſſe bonum veri ſincerique judicem, *plurimorum palatum.* Idem tamen ſcio *multis* non tantum in *Belgio*, ſed etiam in *Anglia*, *Gallia*, *Helvetia*, *Hungaria*, atque *Germania* viris primariis, *Originationes* meas adeo non ſorduiſſe, ut contra gratanter iis applauſerint: easdemque inſinuari nunc quotidie magis magisque, etiam illis, quibus ante ſuſpectæ erant, quin a quibus, vel aperte, vel clanculum, impugnabantur. *Alterum jaculum.*

En tertium telum *Origines* confoſſurum, ſcilicet. „ *Tam illa*, inquit, *undecumque ſunt hiſpidæ, ut aculei a mutua colliſione hebeſcant* ". Tornatiſſimum & acutiſſimum eſſe hunc hominem, oportet, qui quod ad unguem expolitum cenſuere juſti arbitri, in plerisque ſaltem, tam hiſpidum atque hebes eſſe pronunciat; ipſa aſſeverandi audacia rem conficiente, hac quidem pagina, ubi biliculam ſuam una fuſione exonerat. Infra tamen pag. 695. *ſpecimina* dabit *hiſpidæ* iſtius *hebetudinis*, quibus *Origines* noſtræ, ejus judicio, ſeſe elidunt; quæ in quem quadret, ac competat, non rudes Artis & gratiæ *Rhetoricæ* diſceptabunt. *Tertium tormentum.*

Quar-

Quarta Catapulta. Quartum cum primis jaculum, velut amento intortum, ita *Originationes* meas uno ictu configit *pag.* 693. „ *Expeditiorem Linguæ Arabicæ intelligentiam spondet hæc opera, præclara cum voluntate suscepta* ". (mulcet paululum, dum ferit, ne animum despondeam, forte:) „ *sed & altera vulgatiore EODEM, & ULTERIUS pervenitur* ". Consideratissime! ut decebat eum, qui *Orbi Literato* innotescere cupit. Non *expeditiorem* sane *viam promittit opera* mea, si *expedita* pro *celeri*, & *ad copiam* tantum *paratissima* sumatur: sed si accipiatur pro *enucleata*, *fructuosa*, *homineque Docto dignissima*, ne ipse quidem stupor negaverit, hunc fructum ex *Originibus* meis posse redundare.

Ultro dissiliens. Sed verumne, meas *Origines promittere* solummodo *expeditiorem viam Linguæ ARABICÆ*? Immo vero *promittunt* quoque *interiorem*, & *fœcundiorem notitiam Dialectorum* omnium, *HEBRÆÆ*, *CHALDÆÆ*, *SYRÆ*, omniumque quæ una *stirpe Linguæ primævæ* effloruere. Cur hoc sicco pede præteritur? quo vel maxime collineat mea opera: quemque præcipuum mihi in *Originationibus* scopum præfixi: claudicasset, nimirum, illatio & conclusio, quæ hominis inscitiam, & imperitiam aperuisset, quam tamen sagaciores mox odorabuntur. „ *Sed & altera Vulgatiore via eodem & ulterius pervenietur* ". Quænam illa *Vulgatior*? non alia, putem, quam illa, quæ *Origines* aspernatur, quæ memoriam farcit *sola congerie significationum*, nullo lumine perfusarum, nullo ordine digestarum, sed quæ cæcum tantum constipet acervum; prout homo noster ad præclarum suum *Arabicæ*, quin & *Græcæ Latinæque Literaturæ culmen*, adspiravit. Qui hanc EODEM perducere posse asseverat, quo quis *minus vulgata* illa provehitur, per *Origines*, i. e. per *Matrices*, ut ipse supra finivit, *significationum Diversissimarum*, & *inter se abhorrentium*, sese penetrans ad

ad *Harmoniam* omnium *Dialectorum*, & *constantiam* ac *concordiam* cujusque *nativam*, Eum absurda, & manifeste repugnantia effudisse, nemo non judicabit. Quod si eodem impetu adjecerit, *quin & ULTERIUS*, haud dubie omnem *absurditatem* ac *repugnantiam* superasse, ab omnibus censebitur.

Videamus tamen, quam *Literate*, & ad stuporem usque *perdocte*, vægrande illud *Paradoxum* suum adstruat: *Arabes ipsi*, inquit, *veteresque Poëtæ*, *quorum verba sic LIMANTUR*, *PRIMAS Verborum suorum VIRES ignorabant; & nibilo minus tamen intelligebant ipsi sua scripta, poterantque aliis intelligentibus approbare.* Securim mihi injicere gestiens, sibi ipse crura suffringit. Nulla gens studiosior *Linguæ* suæ ante & post *Muhammedem*, quam *Arabum* illa. Veterum *Poëtarum*, & *Rhythmicorum*, quorum innumerus fere numerus floruit, hæc palma. Id omnes Scriptores pari ac consona voce testantur, Testantur luculenta indicia & documenta, quæ *Scholiastæ Poëtarum Veterum*, & *Recentiorum*, in medium contulere: qualia passim in *Notis* meis, ad *Haririum*, ad *Nawabig*, ad *Excerpta* hæc ex *Hamasa* adduxi. Meo jure proinde in *Orat.* altera de *Ling. Arab.* antiquissima *Origine*, *intima cum Hebr. consanguinitate*, *& nullis seculis præflorata puritate*, quæ Tom. II. *Originum* mearum subnexa, *pag.* 49. affirmavi, *Arabes Jemanenses severiorum Doctrinarum longis seculis expertes*, *summum Literatæ Gloriæ culmen collocasse in ORIGINIBUS Verborum indagandis*, *Radicumque PRIMIGENIA indole ac potestate eruenda; ut ad illam Lucem NATIVUS LINGUÆ GENIUS semet intaminatum tueretur* &c. *Hunc scopum sibi præfixum habebant POETÆ*, *habebant Oratores*, *qui ad Gentis solemniores Panegyres*, *celebrioresque mercatus*, *confluere solebant*, *& de Principatu Literarum ingeniique inter se decertare; in quibus gloriæ theatris illi ad-*

Incredibilis confusio.

mirationem applausumque præcipuum auferebant, qui cum affluentia Potentiaque Patriæ Linguæ, ANTIQUISSIMAM ejus INDOLEM felicissime expressissent, atque fugientes Verborum proprietates cum accessione lucis ac gratiæ recenti iterum memoriæ tradere, ac commendare, valuissent. An talia ignorat homo? Non potest; nam legit *Poëtas*, legit *Scholiastas*, legit ipsorum *Origines* limatissimas sæpe: & tamen in Publico scribere sustinet, *Arabes Veteresque Poëtæ, — primas Verborum suorum Vires ignorabant.* Suavius adhuc illud; *& nihilominus tamen intelligebant ipsi sua Scripta.* Mirum profecto, *si scripsissent*, quæ *ipsi non intellexissent.* Sed rogo quî, & quousque. *Intelligebantne sua Scripta docte, an indocte?* ut ipsum *Vulgus* utique *intelligit* quæ vel loquitur, vel scribit. Si *posterius*, ad *Vulgus* indoctum erunt relegandi: nulloque in pretio habendi. Si *prius*, ut *humanior cultura* Linguæ, & *genuina Indoles*, ex eorum Carminibus traluceat, (prout sane admirabiliter huc *Poëmata* eorum *luminibus* & *ornamentis* illustrium figurarum præfulgent), quî tandem *primas* Verborum suorum *vires ignorasse* dici possunt? Pictores ergo extiterint, summique Artifices, absque ulla notitia Colorum, quibus *tabellas* sæpe *Apellêas* expresserunt, atque posteritati admirandas, per omnem seculorum decursum, obtulere.

Quid non *glaucomatis* sibimet offuderit necesse est, qui non videt, non sentit, se non solum *Eruditionem*, qua excellere affectavit, verum etiam *Fortunas* suas omnes destruere? quippe qui suo indicio prodat, quid expectandum habeant *Academiæ*, quibus tantus Doctor admoveretur.

Contradictio manifesta. Eadem *vertigine* actus, subdit; „ *Unde SPES* est, *nos* „ *ab illis exarata intellecturos quoque, etiamsi Arabicas O-* „ *RIGINES PERFECTE NON CALLEAMUS* ". Qui *primas* Verborum *vires* plane ignorat, vel in *Vernacula* sua,

ſua, nunquam quid *proprie* dictum ſit, quid *improprie*, & per *metaphoras*, aliosque *tropos Rhetoricos*, *deflexum* internoſcet, etiamſi *generatim* ſenſum aſſequatur. Quod ergo *Criticus* noſter ait, „ *Unde Spes eſt Nos quoque ab* „ *illis exarata intellecturos* ". utique ad *intelligentiam exteriorem ſpes* illa ſeſe reſtringit, quum tam expreſſe *Arabibus*, eorumque *Scriptoribus* vel excellentiſſimis *interiorem* detrahat. Sentiens interim, in media hac vertigine, qua ſeſe de omni gradu dejecit, quam ſemet præcipitarit, aſtutule interſeruit „ *etiamſi Arabicas Origines PERFECTE* „ *non calleamus* ". Agnoſcit ergo dari *Origines*, easque ab *Auctoribus intellectas* fuiſſe: quo pacto ſemet exarmat oppugnator, & ſe riſui publico præbet explodendum. Reſcindit etiam uno ictu, quicquid adſtruere voluerat, per inſubidum illud *PERFECTE*. Nemo ſane *Europæus* ſibi arrogare ſuſtineat, ſi vel micam habeat bonæ mentis, ſe *Perfecte Origines Arabicas* in omnibus vocabulis aſſecutum. Ne *Taurizius* quidem, Summus ille Antiſtes *Literaturæ Arabicæ*; tantum ſibi culmen arrogaſſet: ſed an propterea non *multas*, non *plurimas* etiam percalluiſſe cenſendus eſt? An *Servium* omnia ignoraſſe affirmabimus, quia non omnia percalluit. Frenum morderet rationis, & contumaciſſimum ageret mortalem, qui ita ratiocinaretur. Ad me quod attinet, neutiquam *Perfectam* omnium *Radicum Arabicarum Originationem* mihi vindico: ſed ad *perfectionem* illam, quantum *Ars longa* & *Vita brevis* dabunt, contendo; contendent alii, qui hæc per veſtigia ire non dedignabuntur; prout mihi Anteceſſorum meorum Veſtigia premere, & forte paulo longius procedere, jucundum fuit.

Venient etiam, qui longius, poſt fata mea, ſeſe provehent, & ad *Perfectionem* ipſam propius adſpirabunt; donec Moderatori ſummo rerum placebit, id conſummare, quod conſummandæ etiam *Literaturæ Hebrææ* ſubſerviet.

Prostitutissima malae causae defensio.

Commiserandam hactenus prodidit nuditatem homo noster. Magis adhuc se prostituit, ita scopas suas dissolutas persequens: „ *Id exemplo nostro patet, qui GERMANI, BATAVI, GALLI, ANGLI, quamvis ORIGINUM nostrarum ignorantissimi, SAPIENTER tamen & ELEGANTER loquimur, & scribimus* ". Sapiens profecto, & elegans, & multo doctissimum *effatum!* quod ex tripode *Apollinis Literarum Praesidis* resonare dixeris. Sed sibi habeat suum illud Exemplum, quo se etiam in *Germanicae*, i. e. *Patriae Linguae Originibus Ignorantissimum* profitetur.

Germani non ignari Originum suarum.

Quo modo *Germanis*, laurea *Ignorantissimorum*, hac in parte *Culturae*, quam *Vernaculae* suae impenderunt, arrisura sit, haud scio equidem: sed idem ego compertum habeo Excellentissima ingenia ista in Gente floruisse, atque etiamnum florere, qui *Origines* suas percalluerunt, & qui vel *Prosa* vel *Versa* Oratione praepotentis *Linguae* antiquissimam Indolem, & *nativam* virtutem, ad vivum exprimentes, Lectores suos permulcent simul *luminibus*, simul in admirationem rapiunt *fulminibus Rhetoricis* sermonis, quibus Eam nulli *Linguarum* vel veterum, vel recentiorum, in orbe terrarum concedere reperio.

Nec Belgae.

Belgas quoque si crassissima sua *ignorantia* involutum ire audeat hic homo, eosque suis sordibus commaculare, non *Literati* solum & *Peritiores*, sed & *illiterati*, *Latinique sermonis expertes* quamplurimi, eum albis dentibus deridebunt; atque in *Barbariam* facessere jubebunt.

Nec sane Galli.

In *Gallorum* politissima illa *Lingua* neutiquam *Origines ignoratas* a praestrenuis ejus cultoribus, *Richeletius* inspectus quemvis docebit; nec non splendidum illud *Academiae Francicae Dictionarium*, junctis tantorum Virorum manibus oculisque admirabiliter elaboratum; itemque illud *Abbatis Furetierii*, quod praecedenti palmam praeripuisse judicatur. Hi omnes, id quod mihi praesertim in *Sermone*

illo

illo excolendo pro *Scopo* præſtitutum fuit, ad *diverſiſſimas ſignificationes* earundem *Radicum* unum ſub Caput & Fontem reducendas, ſplendidam mihi facem alluxerunt, atque florem honoremque nitidiſſimi Sermonis penitius introſpiciendum dedere: quorum Ego nunc humeris inſiſtens, forte etiam ulterius proſpectare in quibusdam queam, quam eorum acies proſpexit. Mitto Ill. *Menagium*, aliosque, qui *Etyma* magis aucupati ſunt, quam *Origines*, quas appellito, id eſt, *Matrices copulas diſſonantisſimorum uſuum*, per *Rhetoricos* & *ſecundarios flexus*, unde copiæ & divitiæ efflorefcunt *Linguarum*.

Splendida apud Anglos Origines.

In *Anglico* Sermone non æque verſatus, tantum tamen inde hauſi, ut *ſummis luminibus* & *ornamentis vividiſſimæ Eloquentiæ* eam *præpollere* perſenſerim: atque magnopere præſertim delectatus fuerim limpidiſſima illa vena *Originum*, unde copia, ubertas, & potentia admiranda atque inexhauſta *ſignificationum* iisdem ex *Radicibus*, & *Matricibus* redundavit.

Conſtituant jam *Germani*, *Angli*, *Galli*, *Belgæ*, quo nomine dignum judicent futilem mortalem, qui omnes fidelia eadem conſpergens, *Originum ſuarum ignorantiſſimos* eos pronunciat, i. e. *hospites* in *nativa Conſtantia*, *Gratia*, *Dignitate*, & *Potentia Vernaculi* ſui *Sermonis*; non aliam ob cauſam, quam quia miſellus in omnibus iſtis, quantum ad *Origines*, cæcitate & ignorantia incredibili laborat. Hoc primum. Accedit alterum, non minus *Sapiens*, *elegans*, *prædoctum*; & *multo Literatiſſimum*, collatio inter *Linguas quæ cum lacte nutricio*, per *uſum quotidianum* & *familiarem* imbibuntur, & dein per *Lectionem*, *Auditionem*, & *Converſationem* altius infiguntur, ad *commercium* promtiſſimum *Sermonis*, & inter *Linguas* vel *Dialectos mortuas*, *Hebræam*, *Chaldaicam* & *Syriacam*, quæ non niſi ex priſcis Libris, absque ullo *vivo* uſu, utcumque

Alia conditio vivæ, alia mortuæ Linguæ.

Hebr. Chald. Syr. Arab. etiam Origines *necessariæ.*

possunt addisci. Quid? Ipsa *Arabica* quoque, quantumvis *vivat vigeatque* super antiquissima stirpe, unde cum Sororibus suis haud dubie propagata est, nobis *Europæis* utique *quasi mortua* est censenda, quippe quæ non nisi Erudito labore ac studio comparari inter nos queat: quod quidem studium si non per *Origines*, id est, *Proprias & Primitivas potestates* dirigatur, meram pariet confusionem, atque cum tenebris, infinitos offundet errores.

Onerabit enim vero confusior illa *Methodus* memoriam, mentem non ornabit; neque vel ingenium alet, vel judicium limabit, atque exacuet, ad discernendum quid *eleganter*, quid *sapienter*, quid omni in genere *Rhetorico* polite, nitide, amussitatim conceptum sit atque enunciatum. Sed de hisce infra latius.

Origines *Græcæ & Latinæ, sunt Fons Rhetorices.*

Nunc tantum rescire velim, an idem judicii ferat summus noster Literator de *Græca* & *Latina Lingua.* An & in illis penitius rimandis, doctius intelligendis, & solidius interpretandis *Origines supervacuas* esse contendet? Si faciet, omnem sibi *Eruditi* in hisce Viri famam detrahet, atque e fastigio *Critico*, in quod semet evexit, semet ultro præcipitabit: si non faciet, atque contra largietur, ad utriusque consummatiorem hodie cognitionem *Origines*, quibus usus *Metaphorici*, *Metonymici*, *Tropicique* in universum omnes, suavi ac potenti copula inter se devinciantur, non summe solum *utiles*, sed & absolute *necessarias* esse, eo ipso iterum infausta illa & cruda sua *Originum* mearum impugnatione semet expugnabit, atque exsibilandum, a Doctis indoctisque juxta, sese præbebit.

In his Hospes est noster.

Si sibi constare velit, & quod intus sentit, aperire audeat; *prius faciat*, hoc est, in *Græcis Latinisque* etiam *Origines supervacuas* esse, pugnet necesse est. Nempe & in his, ut in *Germanicis* suis de se ipse testabatur, *ignorantissimus* est, ipso

ſo evidentiſſimis exemplis id comprobaturo infra, palpandumque præbituro. *Originationum* certe ſtudium omnibus in Linguis connexum eſt, atque ita cohæret, ut qui in *una* rite tractanda ſolertem ſe præſtiterit, atque planam ſibi viam communiverit, is in reliquis quoque felicem habiturus ſit ſucceſſum, ſi modo eas non primoribus attigerit labiolis, ſed in ſuccum eas & ſanguinem converterit. Contra in *una* qui ſtupeſcit, in omnibus ſtupeat neceſſe eſt; & cui *palatum* etiam ad *vernaculam* ſuam obbrutuit, non video, qua tandem ratione ad *Origines Latinas*, ac *Græcas;* nedum ad *Hebraicas* reliquasque *Orientales* excitari queat.

Ridicularium quid.

Jocatur interim, inſultans etiam: „ *Profecto ſibilis eum* „ *proſequeremur, qui noſtris in ſcriptis plus ſapere, quam* „ *nos ipſi, vellet* ". Profecto qui in ſcriptis hominis *inſulſi* plus *ſapere* vellet, quam ipſe *ſapuit*, ſibilis explodi mereretur. Sed non minus ludibrii debet Eruditis, qui negare audet, quemquam in *Lingua Peregrina*, quam ſummo ſtudio excoluit, quamque *Via* ac *Methodo Erudita* perambulavit, atque contrivit, plus *ſapere* poſſe pro *Originibus*, quam ipſum illum, cui ea *Domeſtica*, ſi ad *Origines* nunquam attenderit. Quid? *Sibilisne proſequendi* erunt *Scaligeri*, *Caſauboni*, *Salmaſii*, aliique & olim, & nunc, *Principes Literaturæ Humanioris?* qui ſe *Græcis Latinisque*, *Originibus* indagandis plus *ſapuiſſe* oſtenderunt quam vel *Varronem* illum Doctiſſimum *Romanorum;* vel omnes *Græcorum Scholiaſtas.*

Sibi ergo habeat ſua ſcommata, atque in ſe jocum riſumque ſuum convertat, qui *Dictaturam* in *Latinis*, *Græcis*, *Arabicis* invadere, & uſurpare, ſuſtinuerit; quum *plebejum*, & infra *plebem* ipſam *illiteratum* ſeſe declaret, atque toti *Orbi Erudito* os impudens diverberandum offerat.

Sextus

Major rerum ſurgit moles. Exardeſcit pius hominis Ze-

aries formidolosissimus. Zelus, & jam, *sexto*, hocce tormento mœnia *Originum* quatiuntur, p. 693. „ *Noxius quoque est hic ORIGINAN-* „ *DI pruritus haud parum* ". Dirum & minax Phænomenon! *Theologum* agere cœptat *Censor Lipsiensis*. Auctoritatem, credo, sibi adstruere nititur apud *Zelotas*, quibus brutum hocce Fulmen jam ipse in manus tradidi, ante quindecim admodum annos, *Tom.* II. *Orig. cap.* v. ubi Armamentarium adversus memet instruxi, atque *pag.*

Fulmina e pelvi. 126. inter alia pono: „ *Mea Methodo ansam porrigi ho-* „ *minibus Profanis cuncta luxandi, atque susque deque mis-* „ *cendi* ". Indocta & importuna criminatio retunditur, *ibid.* p. 159. atque ita jugulatur, ut resurgere nunquam possit. Telum nempe retorquens *illos cuncta miscendi luxandique ministrasse ansam* moneo, qui spretis *fontibus Dialectorum*, spretis limpidis *Originibus*, ex *imaginatione* sua Formales significationes exsculpere aggressi sunt. Lacertos tamen movet Mostellum, quod jam ibi confixum jacet: & *Eruditis*, jam dudum talia despuentibus, hæc iterum ingeruntur a Nostro: „ *Non tantum enim licentiæ lascivien-* „ *tium ingeniorum occasionem dat, sibi aliisque risum & jocos* „ *faciendi de Linguis, cereasque illis nares affingendi: sed etiam* „ *avocat a laborioso VERÆ GRAMMATICÆ studio, & ip-* „ *sius LINGUÆ INTELLIGENTIA, per frequentem usum* „ *comparanda* ". Nihil importunius, vesaniusque in quemquam unquam prolatum. Priori cavillatiunculæ occursum jam, *Origin. T.* II. *Cap.* VI. sed hicce homo malignitatem petulantia cumulans, id mihi impingit, quod ipse cum maxime meditatur atque molitur; ut *cereas nares Hebrææ Linguæ*, quam nunquam discere voluit, *affingat.* Id infra se omnium oculis mentibusque ingeret. *Origines* contra unice id, ut intendunt, ita efficiunt, ut istæ manus temerariæ, quæ omnia violare ac truncare velle minantur, a *sacro Codice* depellantur, atque *integritas Biblica* inviolata atque intacta præstetur.

Ea-

Eadem insolentia mihi exprobratur, *Originationes meas avocare a laborioso VERÆ Grammaticæ studio, & ipsius Linguæ intelligentia, per frequentem usum comparanda.* Prodigia mera, in ultimas terras exportanda! Cuinam enim hæc objectantur? Homini qui jam quadraginta fere annos *Grammaticam Hebræam*, *Aramæam*, & *Arabicam*, florentissimis in *Academiis* docuit. Homini, qui ad *Grammaticæ Hebrææ Analogiam* restituendam, *Institutiones* suas in lucem dedit. Homini, qui necdum evulgatas, sed cum *Historia Regni Joctanidarum* adhuc intra cancellos privatos compressas *institutiones* quoque *Aramæas*, in usum juventutis *Academicæ* concinnavit; in quibus item obscurata facies illarum *Dialectorum* renovatur, in concordiamque cum *Hebræa* & *Arabica* Sororibus revocatur. Homini denique, cujus auspiciis recentatam *Arabicam Grammaticam* Cl. *Erpen.* cum maxime ipse recenset: cuique in *Notis* ad *Anthologiam* subnexam nimiam *Grammaticæ Analyseos* curam vitio ipse vertit. Adeone hominem ex homine exuit, atque semet velut efferavit, ut nullum nec *personæ* cujusquam respectum habeat, nec suæ! Æque efferum, ne quid gravius dicam, illud: „ *avocare Originationes nostras ab IPSIUS LINGUÆ intelligentia, per frequentem usum comparanda* ". Quis *malivolentiæ*, aut *ambitionis* suspiciuncula vel tantilla eum respergat, qui hæc studiorum ejus in *Arabicis Fautori*, *Fotorique* unico obgerit? Suum cuique tribuit; *Schultensio* videlicet relinquens *Origines* suas febriculosas, quibus se *avocari patiebatur* ab *intelligentia Linguæ*, sibi suo jure *illius intelligentiam* vindicat, quam *frequenti usu comparavit.* Ubinam terrarum? & quanam in provincia *Arabiæ?* in *Academia Batava*, in ædibusque *Schultensianis.* Mihi quidem ex *frequenti usu Ling. Arabicæ* cum *Hebræa* atque *Aramæa Dialectis*, per *quinquaginta* annos continuato, pro fructu

Protervα ludibria.

D ju-

jucundissimo *Origines* exuberarunt. Ad eum quid redundarit, sub benignissima mea nutricatione studiorum ejus, jam universæ *Reipublicæ Literariæ* inspiciendum, & adstupendum præbet. Sed quid tandem illud est, quo instar Ranæ in Fabula tantum se sufflet? Equidem nihil reperire queo, nisi quod *Schultensius*, qui *Historiam Saladini* cum *Excerptis* ex *Ispahanensi* & *Abulfeda*, ex *Arabico* in *Latinum* convertit, qui *Consessus* aliquot *Haririi*, quo nullus floridior, eoque in genere solidior Auctor; qui *Monumenta veterum Arabum*; &c. &c. qui denique *Excerpta Anthologiæ Hamasa*, veste *Latina* donavit, lento & firmo pede progredi maluerit, in *intelligendis Libris*, attentissimo in *Linguæ* genium, in stylum, in *proprietates* etiam verborum, defixo oculo: at veteratori huic optabilius visum fuerit, spretis hisce, ventoso gloriæ curru invectum, rapido cursu immensa spatia trajicere, seque eo evehere Fastigii, unde omnes præ se despectaret.

Occulti stimuli, quibus agitatur Censor.

Hocce supercilium sese prodit mox, quum addit ibid. 693. „ *Quid enim facilius, quam per otium Originationes comminisci, quas TURGIDA PETULANTIA per FEBRICITANTIS IMAGINATIONIS tormentum præcipitavit?* Si irasci possem homini iratum genium, iratam habenti fortunam, & vere misero,. hic forte subirascerer. Egone *Originationes* comminisci per *otium* ut dicar, quo nemo *laboriosius* easdem unquam vestigavit! Egone *turgida petulantia per febricitantis imaginationis tormentum præcipitare Origines* ut censear, qui omnes aliorum *imaginationes* ad fastidium usque percenseo, exploro, revinco? qui tam tardo, tam suspenso pede in hisce procedo? qui ubi indubitatis ex principiis & fundamentis *Rhetorices*, ex limpidissimisque fontibus *Dialectorum*, *Origines* meas adstruere nequeam, *ignorationem* meam profiteri nec privatim, nec publice, unquam erubuerim? O lutum, o cœnum,

Oestrum quoddam.

o ſordes! Qui ita ſe commaculat, quî tandem inter honeſtioris ordinis hominis oculos erigere poſſit, non exputo. Excuſabit, fors ſit, ſe *turgidam* iſtam *petulantiam* in me non intorſiſſe. Crediderim equidem; nam ſi directe feciſſet, ſtigmate frons foret inurenda; ut *Literatiſſimus* & notatiſſimus Mortalium, ſummo ſuo merito, incederet, per oraque orbis Eruditi ſeſe traduceret.

Eo magis crediderim, quia ſubditur ſimul: „ *quod negotium quo imparatior quisque ab elegantiore Literatura advolat, eo audacius tractat.* " Hoc in ejus condiscipulos jam magis quadrat. Rogatum tamen eum velim, an non petulans maledictum, & Lapidem in *æmulos*, quos vocat, *meos*, in me quoque recidere voluerit? Nemo ambigat, qui tanquam in Bivio collocatum cernet. Non diffitebor quoque, ita mihi ſedere, Eum, qui tales juvenes, nunc Viros, miniſterium ſacrum magna cum dignitate ornantes honeſtiſſimis in ſtationibus, contumelia adſpergit, eo quod *mea æmulati* ſint; eum me quoque contumelia exſpergere velle. Nec dubiam rem eſſe ſivit, qui jam a biennio *genuinis* illis *discipulis* meis, & *æmulis honeſtiſſimis* non ſane honeſte cœperit inſultare, in *Actisque Lipſienſibus* eos virulente traduxerit; ut me meaque arroderet, iſto ſub prætextu, atque commorderet.

In condiscipulos honeſtos, inhoneſta ferocia.

Ad ea opuſcula caninos ſibi jam tum defregit, qui eos in me pulcre ſibi videbatur acuere. Id ſuo loco oſtendetur. Nunc *Eos* & *me* ſimul appetens, ita humaniſſime pergit p. 693. „ *Habent certas quasdam formulas, ut SUTORES, ſed eas VASTAS & GIGANTEAS, ad quas omnes voces quaſi calceant; quibus ſi forte comprehendi ſe non patiantur, ferro crudeli pedes ipſis præſecant* ". Enimvero *Gigantea* arrogantia! qua mihi, in Discipulis meis, inſultatur; & *ſtylus* vere *ſutorius*; qui vile redolet ingenium hominis, quid honeſtas ſit, ignorantis, ejusque con-

temtu vilitatem ſuam ulciscentis veluti. Nulli honeſtiori excuſatior, jacto tali ſcommate, abibit, etiamſi ſubjecerit pag. 694. „ *Illos intelligimus duos, qui ſe nuper jactarunt*, Schultenſii æmulos, *ſed o quantum illi diſſimiles!* " (opportuna exclamatio! erant juvenes *viginti* circiter annorum, quum *opuscula* ſua ederent) „ *quorum unus ille labor fuit*, Golii *Lexicon lacerare & confundere*, *& aranearum telas nectere*, *quas muſca discutiat* ". Quid non permittit ſibi, qui ſemel omnem reverentiam *veri*, *æqui*, *honeſti* abjecit; quique *Verecundiam publici* non ſolum, ſed & *ſui* exuit? Contraria omnia deprendent, qui illos conatus, laudabiles pro ætate tam tenera, inſpicere dignabuntur. Ferocius adhuc illud *ibid.* „ *Numeroſi illi greges Arabicorum boum, qui in* „ Goliano *ſtabulo fremunt*, *& luctantur*, *adverſoque cornu*, *& inimica calce confligunt*, *levi brachio conjugant* „ *deterioris ſeculi Hercules* ". Honorificentiſſima *Allegoria*, etiam in *Golium* noſtrum contorta! Ob eam mereretur tanquam ſeculi ſui Abactor denotari, qui fumum, nebulas, ignes quoque, ex antro ſuo critico in vivos & mortuos juxta efflare geſtiat: *Arabicorum boum greges! Golianum ſtabulum!* reliqua, indomitam Veteris illius malefici ferociam proſpirant. Sed adhuc quidem tenebras iſtas non discutio. Iisdem hæc quoque infremit ". *Commentarios ſcribunt in Arabicos Poëtas*, *quos* „ *non intelligunt*, *ſatis ſe putantes officio feciſſe*, *ſi* Golium *exſcribant & commaculent*, *paucorum cum dierum* „ *jactura*; *veros autem & reconditos ſenſus Poëtarum*, *&* „ *Hiſtorias*, *ad quas illi reſpiciunt*, *& puriores Lectiones* „ *quas non niſi Criticus*, *Linguæ intelligens*, *æſtimet atque* „ *discernat*; *fataque Carminum*, *& ipſorum Poëtarum*, *&* „ *totus gentis Arabicæ*, *absque quibus illa intelligi non poſunt*, „ *aut præ contemtu non indagant*, *tanquam rem inutilem &*

„ *nul-*

„ *nullius momenti*, *aut non audent indagare ſegnes*; *quia ta-* „ *les commentarii æque cito atque cuniculorum fœtus*, *in lucem* „ *excurrere nolunt.* " Edolatiſſima & tornatiſſima *periodus:* ad vivum repræſentans *Atlantem* quendam *Arabicum*, qualem ſe eſſe, a longo ſibi perſuaſit, qualemque ſe nunc *orbi Literato*, ſumma cum modeſtia offert. Quum tamen eandem *Coloſſeam* magnitudinem exigat a *juvenibus*, qui cum *ſpecimina* ſua ederent, vix viceſimum annum egreſſi erant, ſancit illud; *vis conſilii expers mole ruit ſua*, & dum *primitiolas* tenerioris ætatis obruere conatur, ſemet ſolo allidit, & ſe omnibus exſibilandum propinat.

Defervescit tandem vecors impetus, nescio quo terrore ictus; atque omnia prægreſſa tantum non retractat, *ibid:* „ *Non omnem OMNINO DAMNAMUS hoc in ge-* „ *nere poſitum laborem ; NEQUE ipſa ÆDIFICII hujus* „ *FUNDAMENTA ſubverſum imus , quæ IN SOLIDO* „ *JACTA eſſe, BENE NOVIMUS; ipſo uſu edocti, tam* „ *LUCULENTAS eſſe quasdam ORIGINES, id eſt diſſo-* „ *nantium ſignificationum CONCENTUS, ut vel a CON-* „ *TUMACISSIMO REPUDIARI NEQUEANT*". Impudentiſſimus tamen pudor hicce; quo ſibi *nescio quid ingenuitatis* vindicare conatur; ne *ærugine* totus, quantus quantus, obſeſſus judicaretur. Fatetur vel *CONTUMACISSIMUM ORIGINES repudiare non poſſe*, quas tamen ipſe tanta cum contumacia reſpuit modo, & oppugnavit, in *Juvenes* tunc, nunc *Viros Honoratos* & *pietate* æque ac *Eruditione* conſpicuos in noſtra Eccleſia, impactus.

Fœda inconſtantia, & retractatio.

Per illud *quasdam* interim, media in convictione *contumaciſſimum* præbet ſe iterum; non ſentiens manifeſtiſſimam repugnantiam, qua ſe implicat, quadrupedemque conſtringit ipſe; quippe qui neget „ *ſe Ædificii noſtri fundamen-* „ *ta ſubverſum ire*, *eaque in ſolido. jacta eſſe bene noscat*". Αὐτοκατάκριτος profecto, *a ſe ipſo damnatus!* qui quod

Qua quadrupedem ſeſe conſtringit.

damnare nec potest, nec audet, tam sæve & impotenter in prægressis *condemnavit.* Eandem *contumaciam* quoque spirat hæc tricatio intricatissima: „ *qua de re multo certius constaret, si* Gjeuharius *integer Arabice prostaret, unde* Glossæ *illæ haustæ fuerunt, quas tamen* Golius *per instituti sui rationem aperire non poterat* ".

Nova contumacia.

Cernere hic est Characterem illum, qui tam *Graphice* expressus *Prov.* 21: 8. הפכפך דרך איש וזר *contortissimus viam est vir, cui fasce criminum instrictum dorsum.* Omnia ista in *periodo* λέξει, obliqua, ad frustrationem & nebulas luci offundendas comparata. Videntur hæc ab homine valde perito tanquam *Oracula* fundi; quum *imperitiam* tantum, & *malitiam* arguant illius, qui quod *vel a contumacissimo negari* non posse dixerat, *dubium* tamen *facere* nititur. Quid audio? An quæ *Fundamenta in solido jacta esse* agnoscuntur, non utique cujusquam auctoritate, sed *Veritate* suffulta, & evidentissima demonstratione, a *Gjeuhario Arabice prostante* vel *non prostante* pendebunt? Ego in *Opusculo de Defectibus*, pag. 139. insinuavi olim, „ *imperfecta esse præstantissima quæque Dictionaria, & Glossaria, idque vel ex Fabri Thesauro* (addo *Stephani* illo ditiore in *Græcis*) *abunde liquere* ". Inde infero, „ *nec Gjeuharium, nec adeo Phiruzabadium in Camuso* sive *Oceano suo, habendos esse pro iis, qui completam nobis, suisque numeris absolutam Linguæ faciem exhibeant* ". Exemplis id ibidem evictum. Subjungo deinceps *pag.* 141. „ *Lexicographos qui Vernaculam tantum callent, & colunt* (quales erant *Hesychius* & *Suidas*; quales item *Arabes* plerique) „ *diversas quidem Thematum potestates longo studio collectas tradere, sed neutiquam expromere,* (id est, ordine ac lumine *Rhetorico* digerere) *quo pacto significationes aliæ cum aliis sub una Radice consistant, aliæque ex aliis propagentur* ". Et hoc ibidem supra aleam e-

ve-

vectum. Denique p. 142. fubtexo. „ *Nil mirum ſi &* „ *Arabum Lexica hac in parte laborent, & quam longiſſime* „ *etiamnum abſint ab illo ordine & ſplendore, quem Critica* „ *accuratior, variarum luce Linguarum ſuccenſa, infundere* „ *ſola in ORIGINES poſſit* ". Hæc ſi in promtu fuisſent ei, qui *Icari* vehitur alis, non ad *Gjeubarium*, perraro *Origines* attingentem, hancce *cauſam* ablegaſſet, *quaſi multo certius de ea conſtare poſſet, ſi integer Arabice proſtaret.* Proſtat utique MS. in Pluteis *Bibliothecarum:* ſed intendi videtur, *ſi impreſſus extaret Arabice.* Quid tum? & quemnam, nunc quidem, magnopere juvaret? niſi *Latina* Verſio faculam præluceret. Ceterum deprehendo vægrandem noſtrum *Criticum*, non adeo tritum & ſubactnm eſſe in *uſu Gjeubarii*, quam *Orbi Erudito* perſuadere conatur: quo de opportunior anſa inferius offeretur.

Fuiſſe autem *lucidum intervallum* modo, quum tam liberalem ſeſe dabat, nova ſplendidæ bilis ſuperfuſio arguit; quum ſic denuo in *condiſcipulos* ſuos ſe invehit: „ *Sed ridicula illa HOC OPUS* (Origines) *tractandi ratio* „ *NOBIS intolerabilis accidit; qua NOVICII iſti homines* „ *nuper uſi ſunt; qui judicio pariter atque his præſidiis deſti-* „ *tuti, jactare tamen hanc aleam auſi fuerunt; ubique argu-* „ *ti tricatores, cœlum terra miſcentes* ". Audacter calumniare, habet vetus Verbum, ſemper aliquid hæret. Audacter mordeto, ſemper aliquid lædes. Hicce tamen rabioſulus noſter, vel in *Noviciis*, quos faſtoſiſſime appellitat, ipſe videlicet *Veteranorum* Anteſignanus,

Recrudeſcit malum.

> —— *Fragili quærens illidere dentem*
> *Offendit ſolido.*

Hoc *Orbi Literato* adſpiciendum dabitur, quum illuc nos ordo noſter perduxerit.

En

Lucidum intervallum.

En *lucidiusculum intervallum* iterum. „ *PROBA sunt*, „ inquit, *hoc in negotio EA, quæ prono fluunt alveo, quæ* „ *clara se luce in oculos ingerunt* ". Nil justius hocce postulato; nec aliud quicquam *meorum* unquam recipi velim. Sed quid si quis *oculos* non habeat? Quid si habens, eosdem contumacius occludat? Non abnuo alteram quoque

Mox obnubilatur.

conditionem, quam suo jure potuit adjungere: „ *abesse* „ *autem velimus illa cetera longe petita, & obtorto collo* „ *adtracta, undecunque luxata & vacillantia* ". Æquissimum est quod poscitur; nam & omnes id deposcunt, & Ego vel maxime id præstare annisus sum. Si quid *luxatum* & *vacillans* in medium dedero, si quid *obtorto collo tractum*, virgam, vel severius applicitam, reverebor; quin osculabor; si *ab honesto censore*, & *perito* ac *æquo Veritatis Arbitro* admoveatur. Quam ab his conditionibus sese removerit meus homo, & omnes ante hanc scriptionem viderunt, & ipse sibi plene est conscius. Vincat tamen vel *immodestus*, & *iniquus*, si *causam* habeat *victricem*.

Propior conflictus.

Hic vero *specimen specitur*, hic *certamen cernitur*. Propius adhuc pes conferendus. Jactat noster *Andabata*, ad finem p. 694. in nexu cum præmissis: „ *cujus generis*, „ (quibus collum obtortum videlicet) *quædam in hoc quo-* „ *que Libro* Schultensii *quem coram habemus*; *apparent* ". Benigne & clementer *quædam*: verebar ne omnia in spongiam ire juberet.

Primum specimen, quo impugnor.

„ *Verbum* ندب *Nadaba exempli cau-* „ *sa notat* evocari; sponte se offerre; agilis, nobilis, li- „ beralis esse; mortuo parentare, eumque lugere; cica- „ tricosum dorsum ostendere. *Hæc omnia pag.* 310. *in* „ *unam notionem* fluendi *contrahuntur*: fluere verbis, flue- „ re ad evocantem, fluere lacrymis, fluere laudibus, uve- „ re dorso: *nam* uvidum substillumque *apud Latinos pro* „ cicatricoso *venit*. *Nos autem putemus uvida* recentia

„ vul-

,, vulnera, & *duras ſiccas* ac jam *vetuſtate concretas ſoli-*
,, *datasque*, *multum differre* ". Non excerpſit, ſed con-
cerpſit mea omnia.

Ejus malignæ fraudes deteguntur.

Merum *Chaos*, quod malitioſiſſime conflatum ab Eo,
qui non niſi in tenebris ſe graſſari, *Orbique Erudito* illu-
dere poſſe, pernovit. Illas detergebunt mea Verba in-
tegre appoſita p. 309--311. ,, *Thema* ندب *Nadaba*,
,, (נדב *Hebr.*) *proprie* uvere, uveſcere, uvidule manare,
,, *per varias* Metonymias *ſe diffundit*. *A* fluxu uvido *ha-*
,, *bes* I. *notione* intranſitiva, *quæ principe loco* (*poſt præ-*
,, *miſſas illas ſcil.*) *comparere debuiſſet in Lexicis*, agilis
,, promtusque fuit; *item* nobilis & liberalis, *ad officia*
,, præſtanda. *Hinc* נדב ندب agilis, alacer, promtus,
,, liberalis, munificus; *de homine: de equo*, velox, acer, ul-
,, tro in curſum effuſus. *Habes quem* Hebræi נדיב *appelli-*
,, *tarunt*, voluntarium, & in omnem munificentiam ſpon-
,, te effuſum. II. *Poteſtate* tranſitiva *valet* incitavit ad
,, aliquid *nempe* liberali motu peragendum (*quaſi* uveſce-
,, re fecit). *Ita* Harir. Conſ. 30. وندب الي مواساة
,, المضطر & *excitavit Deus promte ſuccurrere egenti.*
,, In *Hiſt. Sar.* occurrit ندب الجيش *emiſit co-*
,, *pias bellicas*. *Eodem pertinet Gloſſa illa apud Golium*,
,, vocavit eum ad rem aliquam. *Ita enim* Tauriz. *ad*
,, *hunc locum*, يقال ندبته الامر فانتدب
,, له ورجل ندب ينتدب الامور اذا دعي
,, اليها ويقال ندب لكذا اي نصب
,, للقيام وشح *Dicitur* נדבת *vocavi eum ad res*
,, *gerendas*; & *ille* אנתדב *vocationi annuit*; *ac vir* נדב *qui*
,, *res promte ſuſcipit*, *quum ad eas evocatur*. *Dicitur item*
,, *paſſive*, *vocatus eſt ad hoc*, *quum rei alicui præficitur*, *ei-*
,, *que adminiſtrandæ ut maxime idoneus adbibetur*. III. *In*

„ *octava ſpecie* انتدب *quæ eſt* התנדב *tres Gloſſas reperias apud* Golium: *Prima*, Annuit vocanti; i. e. *promtum ſe obtulit. Secunda*, benigne rependit & Propitius
„ fuit *Deus*; *item* promtum ſe præbuit. *Tertia* leniter
„ effluxit *ſeu* exſudavit. *Hoc poſterius ORIGINEM oculis*
„ *ingerit*, *illumque FLUXUM UVIDUM*, *quem ſupra po-*
„ *ſui: atque inde intelligitur quanta ſit ubertas* & התנדב
„ ultro offerre, erogare, impendere ſe & ſua. *Hinc quo-*
„ *que pendet Gloſſa* IV. *ſpeciei*, *qua* انتدب نفسه
„ *exponitur*, periculo expoſuit animam ſuam; *quaſi* eroga-
„ vit & impendit eam liberalius. *Eſt verbum militare*, Devo-
„ tiſſimum, & *extrema quæque ſubire paratum* militem *con-*
„ *ſignans. Talis exercitus inſignite appellatus* עם נדבות *popu-*
„ *lus ſponte ſemet offerens*, *erogans*, *impendens MESSIÆ* (*Do-*
„ *mino*) Pſ. 110: 3. *In his omnibus* Arabica *cum* Hebraicis
„ *intimam cognationem colunt*, *atque* Dialectos *mutuam ſibi*
„ *opem præſtare vel PRÆFRACTISSIMUS agnoscere co-*
„ *gatur. Sed quid? quod idem hocce* ندب *declaretur per*
„ deflevit *mortuum*, *eique juſtis Encomiis parentavit. Id*
„ *longius utique diſcedit. Nempe ſi corticem ſpectes* Gloſſæ,
„ *at ſi medullam inſpicias*, *non diſplicebit*, *credo*, fluxit lau-
„ dibus, fluxit lacrymis: quod per *uberavit* non incom-
„ mode exprimas. *Remotius adhuc* ندب cicatrix de-
„ preſſior *in cute apparens*; & *ipſum verbum*, cicatricoſum
„ fuit *dorſum. Subſtitue* uveſcens *dorſum*; *habebisque ipſam*
„ *illam*, *quam eruimus poteſtatem*, *ſpeciali uſu huc admo-*
„ *tam. Nempe* & uvidum ſubſtillumque *pro* cicatricoſo
„ *apud Latinos venit:* nihilque *in hac varietate* Gloſſema-
„ tum, *quod non in omni Lingua copioſiore ultro promanet*,
„ *ac redundet*". Ecquid apparet pro Tabella jucundis, ſplendidisque, coloribus variegata & diſtincta, obtruſum fuiſſe

Mon-

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.

In quo tamen nihil aliud carpere ausus est, quam quod *Crisis*
sui credebat fori; atque unde novus *Hippocrates Oracula* *plumbea*
Medica funditaret: *uvidum substillumque* pro *cicatricoso*, *emudatur.*
quod digito monstrabam, ita perstringens: *NOS PUTEMUS UVIDA*, i. e. *recentia vulnera*, & *DURAS SICCASQUE*, *ac jam vetustate concretas*, *solidatasque CICATRICES*, *multum differre.* Enimvero *Medicum* non solum sed & *Chirurgum* consummatissimum! qui nullas *cicatrices* agnoscit *Uvidas* & *substillas*; quales Ego innuebam; & quales *potentia interior Linguæ Arabicæ*, itemque *usus*, quem solum se secutum jactat, exigunt in vocabulo ندب, ejusque *collectivo* ندوب נדוב *stillatio*, *substillatio*, *exsudatio humoris.* Inde sigillatim *Uvida cicatrix*, *Uvidæ*
fere *manans*, *sudans*, *stillans*; neutiquam *persanata.* Sic *cicatri-*
in *Diwan Hudeil.* *ces.*

فلا واللة ينجى نجاي اصحم ذى ندوب

Non sane fuga mea rapiatur Asina sylvestris, plena uvidis cicatricibus.

Ubi *Scholiastes* ندوب آثار عض الفحول *Nudoub vocitantur vestigia morsuum ab Admissariis impressorum.* Innuuntur *recentes notæ dentium.* Homo noster qui se ob spretas *Origines*, *ipso usu* potentissimum censet in *Arabicis*, huc intruderet *Cicatrices duras*, *siccas*, & *jam vetustate concretas solidatasque.* Admirabili venustate *Ispahanens. Hist. Salad.* ubi *Expugnatio Hierosolymitana* narratur وتلوح تباشير في لوح الدهر لكل مومن يتلقاه بالوجه السافر والصدر المشروح

المشروح وتنوح ناعبة الكفر في كل ناحية ولكل نادبة للاسي علي قتيلها واسيرها ندوب في القلب المقروح وهو بيت الله المقدس الذي غلق نيفا وتسعين سنة مع الكفر رهنه *Micabantque renidentia ſigna tam læti Nuncii in Tabula Seculi; pro omni Fideli, ea excipiente vultu ſereno & corde per bilaritatem diffuſo. Contra plangorem edebat omni in regione qui mortem annunciabat Infidelitatis, omnique UBERTIM LACRYMANTI* præficæ, *ſolatium laturæ, ſuper occiſis ſimul captivisque, CICATRICES in corde ulcerato. Hæc erat Expugnatio Domus Dei Sanctificata quæ propemodum nonaginta annos ſub Impietate oppignerata & conſtricta tenebatur.* Dicat *Æſculapius* ille *Lipſienſis* quasnam eſſe putet cicatrices *duras* & *ſiccas* & *vetuſtate concretas ſolidatasque* in *corde plagis recentibus convulnerato.* Iterum in *deſcriptione prælii decretorii* inter *Saladinum* & *Francos* ويحض علي خط الابد ويحث علي الجلاد والجلد ويثوب للوثوب ويندب الي الندوب

Venuſtus luſus.

Incitabatque ſuos Sultanus *ad immortalitatis præmium, eosdemque inſtimulabut ad ſtrenuiſſime depugnandum; identidem eos irruere jubens; atque adbortans ut UVESCERENT ad VULNERA UVIDA infligenda.* Poſterius membrum in *Arabico* ſic conceptum וינדב אלי אלנדוב: ubi nemo non agnoſcit pulchram *alliterationem*, & *luſionem* ſimul, ex gemino ſignificatu ejusdem *Thematis* oriundam. Hæc ne ſuſpicari quidem, nedum eruere poſſent, qui *Origines* non introſpexere.

Refertus talibus Iſpahan.

A carceribus ad metas ſimili curſu fertur hic Auctor, per *Paronomaſias* & *Origines*, unde vix unam *paginam* explanare valeret, qui ad *Origines* non penetravit. Qui ſe cul-

culmen escendiſſe putat, huc accedat, & ſentiet, quam infra adhuc jaceat: & quam nullus ſit in *Genio* genuino *Linguæ*, qui ſemper volare maluit quam gradi, & veris paſſibus proficere. Si vel minimum guſtum habuiſſet *genii Linguæ*, cujus corticem tantum circumlambiſſe ſemper debuit, in meo *UVESCERE*, pro *liberalem eſſe*, & *nobilem*, & *munificum* &c., continuo animadvertiſſet characterem *Arabiæ*, quem vel *Europæi ARABICIS literis* ne adſperſi quidem, ſtatim perſentiſcant. Quid? an non ad נריב *uvidus*, *in omnem munificentiam ultro effuſus*, quod *Notæ* inſertum, ei aurem vellere debuiſſet, iſti oppoſitum eſſe *characterem* & נבל ſecundum illud *Jeſ.* 32: 5. לוא יקרא עוד לנבל נריב *non nomen ponetur amplius IMMUNIFICO MUNIFICUS.* Ad *Originem* & *proprie*, *MARCIDO non amplius nomen erit UVIDUS: nam MARCIDUS merum marcorem eloquetur:* qualem univerſa hac *Epiſtola* reprimere ac confutare cogor: non mei ſane cauſa, ſed in gratiam *Orbis Eruditi*, ne illum *Marcidiſſimus* mortalium impune ulterius deludat; qui maria & montes pollicitatur. Inter *Gloſſas*, apud *Golium* proſtare reperietur, I. *Deflevit mortuum & Encomio celebravit.* Hinc نوادب *ubertim lacrymantes* apud *Harir. Conſ.* II. ſunt *præficæ*, *plur. partic. fœm.* נודבת نادبة *ubertim flens*, & *lacrymis officioſis fluens* fæmina; *uvidiſſima* in *fletum* ſcil. *mortuo* cum laudibus profundendum. Jam omnes *Lamentatricem* & *Præficam* agnoſcant, quæ *defuncto parentare* ſolebat *lacrymis* ſimul, ſimul *laudibus*. Carpuntur & tanquam ridicularia exponuntur in publico, quæ *Arabicæ Linguæ* ubertatem ac præcellentiam præbent adſpectandam. Præſtetur mihi vel ex *Græco* vel ex *Latino* cumulatius quid ad *præficam* ſignandum. Si adhæc aſſurgere non valuit abjectius hominis ingenium, ſibi imputet, cui palatum felle ſuffuſum, nil

נריב *Uvidus*. ut נבל *marcidus*.

ſinceri ſapit. Corrupit etiam *Lectoribus Actorum* quod dederam, & poſuit nude, *fluere*; ubi ego *uvescere in lacrymas*, *in laudes*, *vel* & *verba laudantia*. Nihil non in his phraſibus, quod cuiquam faſtidium movere poſſit: jucundo potius ſenſu guſtuque Eloquentiæ mulceantur neceſſe eſt, quibus *uvidi oculi*, *uviduli ocelli*, apud *Latinos* non ignoti: *uberare lacrymas*, & *exuberare* etiam phraſis *Latiniſſima*: nec non *exuberare lacrymis*, *exuberare laudibus* alicujus; itemque *oratio exuberans in laudes* defuncti. Exemplum unum alterumve appoſuiſſe juvabit: *Gen* 50: 10. in ſolenni illo luctu planctuque quo *Joſephi* funus concelebratum *Arab.* verſio habet فندبوه ندبا عظيما *& uvidiſſimo fletu Eum executi ſunt:* Vel, *ubertim eum defleverunt.* In *Verſ. Chryſoſt. Arabica* MS. penes me انوح نادبا *plango uvidum.* Item *Hiſt. Salad. majore*; ubi de principe quodam inter *Francos* viro, qui in conflictu occubuerat, narratur, فاكثر الفرنج عليه بعد العويل عويلا فباتوا يندبونه نوحا

Uvescere lacrymis &c. *Franci autem ſuper Eo ejulatum ejulatu conduplicabant, atque perſeverabant noctem iſtam UVESCERE LACRYMIS EUM PLANGENDO.* Signatur hoc verbo *Generoſior* quidam & *Liberalior affectus*, in quem quis ſe effundit *uvescens* quaſi & *colliquescens*. Nihil illuſtrius hocce uſu, quem centenis exemplis adſtruere eſſet. Ad ea omnia *Arabs Lipſienſis* ſtipes, & pumex; unde ne guttulam quidem *uberiorum* & *vividiorum* ſenſuum unquam quisquam expreſſerit.

Alii potentes uſus ab uvescendo *ducti.* Secunda *Claſſis* apud *Golium* noſtrum dabat; *vocavit* ad aliquam rem, item *inſtigavit*, *impulit*, *miſit*, *convertit* ad aliquid. Hæc ut ridenda traderet & rodenda, ex mea *Origine* ſcilicet! pro iis ſuppoſuit *fluere verbis*, *fluere ad evocantem.* Malignum, & ſtupidum ſimul! Ut pulverem diſcu-

eutiam, ponenda ipſa *Gjeubarii* verba: ندبه لامر فانتدب له اي دعاه له فاجاب *Dicitur* in I. ſpecie נדבה לאמר *UVESCERE eum juſſit ad rem aliquam*, & אנתדב *ille*, *UVIDUM SEMET PRÆBUIT; hoc valet*, *advocavit eum ad aliquid præſtandum*, *& ille promtus respondit.* Ecquid pulchrius, cumulatiusque vel cogitatione informari poteſt, ad omne genus *officiorum* generoſo impetu, & *exuberantia* quadam *indolis liberaliſſimæ* ſuscipiendum, & exequendum? Eſt hic ſignatiſſimus ille uſus ſacri *Codicis*, ad cujus nativam *ubertatem* reſtituendam connitebar. *Exod.* 35: 29. *omnis vir mulierque* אשר נדב לבם אתם *quorum cor UVESCERE EOS FECIT ad adducendum dona*, *adduxerunt* נדבה *uvidam* i. e. *liberaliſſimam donationem*, ſive ut in *Lexicis* proſtat *ſpontaneam oblationem*, *munus voluntarium.* Hoc qui ab *uvescendo* promanaſſe negat, vero jam fonte recluſo, omni ſenſu careat neceſſe eſt, nec inter *Literatos* vel infimum locum tueatur.

Grandis figura in munificentia.

Adjecerat Cl. *Golius* illuſtrandi cauſa, *inſtigavit*, *impulit* &c. &c. Hæc & alia quæ in medium dedimus, ad nativam copulam nectere nesciens Nugator *Lipſienſis*, flagellum ſuum *Maximo* propagatori *Literaturæ Arabicæ* incutit, *Lexicon Golianum* omni laude majus appellans *ſtabulum in quo numeroſi greges Arabicorum boum fremant & luctentur*, *adverſo cornu & inimica calce confligentes:* Os ferreum! Nihil in hisce non amiciſſime conſpirans, ſi modo *Origo* teneatur. Pro hoc quidem uſu uberrimo ſupra jam produxi ex *Ispaban.* ويندب الى الندوب *& uvescere jubebat ad uvida vulnera infligenda:* i. e. *inſtigabat eos ad prælium generoſiſſime ineundum & ſuſtinendum.* Qui nihil aliud ibi videret, quam Noſter, nil videret, & infra plebem jaceret; quæ hoc in uſu, ſi non omnem *Originis* potentiam, ſaltem *Liberalius* aliquid & *generoſius* in eo aſſe-

ſequitur, atque perſentiscit. Iterum in *Diwan Hudeil.*

فلم يوجد لشرطتهم فتي وهم
ندبوا ۞

Neque reperitur conditioni eorum vir quisquam, quamtumvis uveſcere juſſi ſint.

In bellica promtitudine.

Agitur de belli *periculis alacriter & generoſe ſuſcipiendis.* Id vulgus *Arabum* intelligit. Homo hicce, qui Verſiculum laudavit ad *Tarapha*, nullus intellexit; quippe qui vel *Domeſticarum Originum* intellectum & ſenſum ſibimet ſupra abjudicarit. Apud *Hiſtoricos Elmacin. Abulfar. Abulfed.* omnesque adeo in univerſum increbuit, ندب الجيوش *Uveſcere juſſit exercitus*, & انتدبوا *ſemet Uvidos præbuere:* quæ phraſes in *Lexicis Arabum* declarantur, *evocavit* vel *miſit copias* ad bella, & prælia, capeſſenda, & *annuerunt*, ſive *ſponte confluxerunt*, &c. Hinc illuſtrabam ibi *Pſ.* 110: 3. עם נרבות *Populus Uvidum ſe præbens.* Prius *Hebræis* erat נדב in *Kal*; in *Lexicis Hebraicis*, vulgo, *incitavit ad voluntarie dandum* vel *conferendum*; ad *Originem* meam *Uveſcere juſſit.* Poſterius in *Hithpahh.* התנרב *ſemet uvidum*, vel *uberem præbuit*, vulgo, *ſponte exhibuit* vel *obtulit*; *dona*, *munera*, *officia* quævis, quam liberaliſſime. Si ad hæc ulterius cujusquam hebeſcat acies, extinctum omne *lumen Rhetoricum* dolebo; inter eos præſertim, qui Sacra *Hebraica* tractant; atque in *proprietatibus* verborum enucleandis quam maxime ſeſe fatigant. *Exod.* 25: 2. habetur: *Dic filiis Iſraëlis, ut capiant mihi Oblationem*; *a quovis viro* אשר ידבנו לבו *quem UVESCERE JUBEBIT cor ſuum, ſumetis oblationem meam.* Adde ex *kal*, *Exod.* 35: 29. ſupra adductum, ibi-

ibidemque *vſ.* 21. Ex *Hitpah.* nobiliore illo *uſu bellico*,
quem tantopere frequentant *Arabes*, extat *Jud.* 5: 29.
המתנדבים בעם *Qui ſemet uveſcere fecere, qui ſemet UVI-
DOS præbuerunt in populo.* Conſimiliter 2 *Chron.* 17: 16. &
Neb. 11: 2. *Arabes* efferrent المتندبون. In *libe-
ralitatem uvidam, exuberantem, & multo generoſiſſimam* ten-
dunt loca 1 *Chron.* 29: *vſ.* 5. 9. 17. & 2 *Chron.* 17: 16. *Eſr.* Uvida
1: 6. & 3: 5. aliaque complura. Ad *Originem* quam in *libera-*
lucem protraxi, alluſum manifeſtiſſime in pulcherrima *litas.*
phraſi, *Pſ.* 68: 10. גשם נדבות תניף *imbrem UVIDIS-
SIMORUM FLUXUUM coruſcare facies*, ſive, *evibrabis*, *Imber*
o Deus! hoc eſt, qui *ultro exuberet*, atque identidem *libera-* uvidiſ-
liſſime ſeſe offerat, atque in gremium terræ, Eccleſiæ, *ſeſe* ſimus.
effundat. Duplicata ſentitur potentia. Locutio appoſitiſſima,
nam & *uvidus Cœli ſtatus* apud R. R. Scriptores eſt *pronus in
imbres.* Non minus pulcher luſus ex gemino ſignificatu *Deut.*
16: 10. *Feſtum hebdomadum celebrabis Jehovæ;* מסת נדבת
ידך אשר תתן *eliquationem uviditatis manus tuæ, quam da-
bis.* Hoc ad *Origines* expreſſi verborum מסס & נדב, ubi *vul-
go* ſatis impedite editur, *tributum liberalitatis manus tuæ.*
Qui quantum inter hæc ſit diſcrimen, pro *Genio & Lu-
mine Eloquentiæ* orientalis, non continuo cernit, nihil in
his diſcernere valet. De נדיב *Generoſus, nobilis, pius,
ingenuus* jam olim in *Comment.* ad *Jobum* commonui *cap.* 2:
10. ex *Origine* ſonare, *præ ubertate ſucci ſponte fluentem*; i.
e. *uvidum.* Adjecta ibi ex *Jeſ.* 32: 5. oppoſitio inter נדיב
uvidum, atque *in omne munus virtutis exuberantem*, & in-
ter נבל *emarcidum, ſive Eum qui ad virtutem penitus e-
marcuit.* Ego hominem meum inter נדיבים *doctrina &
virtute exuberantes* evehere conatus fui, ſub patrocinio meo;
ille ſe ad נבלים *Emarcidos*, jam tum, improbiſſiſimis in
me molitionibus aggregare maluit, ſeque his ſcriptiunculis
malignissimis *virtutis* non ſolum, ſed & *doctrinæ* ac *judicii*

F *exi-*

existimatione publica exuere, in perpetuumque exspoliare.

A Tauriz. hæc Origo indicata erat.

Sigillum hominis ignorantiæ imprimam ex Literatissimo illo *Commentatore*, quo in *Notis* perpetuo usus sum, *Taurizio*, qui *Originem* ab *uvido* pendere clare satis indicaverat, quum inter signatos nostri *Thematis* usus recenset ندب لكذا اي رشح للقيام *uvescere jussus est ad aliquid*, h. e. *Ei præfectus est ut maxime uber & idoneus.* Scilicet رشح apud *Golium*, in I. specie, *Primo* est *sudavit*, *sudore maduit.* Inde *metonymice* subsumta enituit *phrasis* لا يرشح له بشي *non maduit* (uvidus fuit) *ei ulla in re.* Hoc ibi vertitur, *haud dedit ei quicquam:* q. d. *haud sudavit*, *exsudavit quicquam humoris.* Forte huic etiam formulæ *collum* a me *obtorqueri* dicet. Sed ferociam hanc compriment *Arabes*, quos *Origines* suas ignorare asseverat vanissimus. Allusit *Harir. Conf.* 7. ubi de anu mendica stipem corrogante, floridissimus ille, & castissimus simul Auctorum; وتستوكف الاكف كفا كفا ولم يرشح علي يدها اناء *illa vero pluviam poscere singillatim manus; sed non madescebat super manum ejus ullum aquale:* id est, *ullus homo donare solitus.* Alludit & solenne Proverbium يترشح كل اناء ما فيه *omne vas suo uvescit liquore.*

Synonymis abundant Arabes.

Ergo duo hæc verba, levicula quadam differentia, Synonymiam colunt, ita ut ندب *uvescere*, & رشح *madescere sudore*, in *Origine* consonant fere; in *usibus* item *secundariis*; sic tamen, ut flexus *Rhetorici* in nonnullis divergant. De hac *Synonymia*, quæ *Opulentiam* & *potentiam* simul efficit *Linguarum*, infra pluribus agetur: ubi etiam hac in *ubertate*, atque his in *Divitiis Rhetoricis Dial. Arabicæ*, inde emanantibus, pumice aridiorem deprensuri sumus nostrum, talemque quem nunquam quicquam, nec in *Arabicis*, nec in *Græcis Latinisque*, nisi irato *Genio* malignoque ingenio, loligine infinita obsito, studuisse reperiatur, in

in quod *radii Humanitatis*, & *elegantioris culturæ*, non potuerint penetrare.

Alterum specimen, in quod se impegit.

Hoc ut ex *primo* ſpecimine jam eluxit; ita *alterum* quoque, quod ut *obtorto collo* a me *attractum* caſtigat, p. 695. evincet „ *Nomen* زرق inquit, *notat* ſaccum. *Verbum iis-* „ *dem literis ſcriptum* zacca *notat actionem*, *quando avis pul-* „ *lo ſuo alimentum in os ingerit. Hæc pag.* 323. *ſic conne-* „ *ctuntur. A ſaccus fit* ſaccare. Saccare *idem eſt quod co-* „ lare. Colare *idem eſt atque* transfundere. *Avis itaque* „ *dicitur pullum ſaccare quando eum ſaccato nutrit*". Hæc merum iterum *Chaos* offerunt *Actorum Lipſienſium* Lectoribus. Ejus tenebras diſſipabit mea *notula* ad *Hamaſa* pag. 322. 323. „ *Repetitio gravis ac decora vocabuli* زرق *uter vi-* „ *no recondendo*, *ſaccus*. A ſacco *placuit* ſaccare. *His uſibus* „ *auctum quoque* זקק *HEBRÆUM. Nec abit* (ab Hebræo „ ſcil. illo) *Gloſſema apud* Golium, *Roſtro in roſtrum in-* „ *ſerto aluit pullum avis*: q. d. *percolavit*, *eliquavit in os.* „ *Quin & quum* ذرق ſtercus excrevit *avis*, *exponitur*, „ *pudenter figuratum eſt*, *pro* eliquavit fæces; *quemadmo-* „ *dum a Latinis quoque* percolare & ſaccare eodem *tra-* „ *ducta ſunt. ORIGO ſita in* arctando, *unde* זקים catenæ, *itemque* אזקים; a *themate* forte אזק أزق *arcta-* „ *vit*". Jam omnia lucent, credo, peritis; Literulis etiam noſtris vel leviter tincti, hæc per ſe ſatis digerent; neque enim ut nutrices, omnia præmandere atque in os ingerere ſoleo. Homo noſter, ut ad hæc tam clara & evidentia cæcutivit, ita alios ſecum voluit caligare.

זקק Eliquare.

Supprimitur in concerptione ejus *ſcopus*, quo collineabam, illuſtrandi *Hebræum* זקק *Liquavit*, *fudit*; ut *Job.* 28: 1. זהב יזקו *Aurum* quod *fundunt*, *eliquant*: & 36: 27. יזקו מטר *eliquant pluviam*. Iterum *Mal.* 3: 3. inducitur *Meſſias* מצרף ומטהר *conflans & nitidans argentum* זקק

qui-

quique eliquaturus ſit tanquam aurum & argentum. Eſt ſummus gradus *nitidandi*, quem *colationem*, *percolationem* vocitamus. De *vinis percolatis* etiam proſtat *Jeſ.* 25: 6. Sub hoc interim verbo tam illuſtri ad *eliquationem* & *percolationem* reperitur derivatum זקים *catenæ;* quibus cum *percolatione* nihil commune. Ad *Chaldaicam Dialectum* ergo recurſum jam a *Rabbinis*, ubi זקק frequentatur pro *vincire*, *ligare.* Id recte habet: ſed necdum copula apparebat inter diſſonantes uſus *vinciendi* & *percolandi.* Hanc in *Nota* iſta eruere conatus ſum; interveniente iſta *idea*, quæ adhuc ad conciliationem deficiebat. Qui oculos luci non occludunt, vel etiam qui in *Linguis* non plane plumbei, *Harmoniam* quatuor *Ramorum principum* e *Lingua Primæva* proſatorum, hinc introſpicere potuere. Sic demum in penetralia pergitur *Literaturæ Orientalis*, & occupatur ſuprema illa Arx, ad quam viris, equis, contendendum. Nihil horum ſub oculis habet miſellus noster, in *Hebraicis*, *Chaldaicis*, ac *Syriacis*, talpa cæcior: in *Arabicis* veſpertilio diem & lucem fugitans; atque in tenebris ſibi placens, ſibi plaudens. Ex *Dial. Hebrææ* veteribus illis copiis, quibus quum viveret ac floreret, circumfluere debuit, *guttula* tantum nos impertiunt uſus ſupra poſiti. In *Chaldaica*, qua haud paulo copioſiore utimur propter plures *Libros*, habemus quoque, primo *Mundare*, *purgare* apud *Buxt.* ſecundo *Ligare*, *vincire*, *copulare;* &c. Tertio *paſſiva* poteſtate, *opus habere*, *coactum eſſe.* Omnia, ab *arcta conſtrictione:* in quibus duo poſteriora per ſe patent. Prius *copulari* nequivit cum agnatis uſibus, niſi intercedente *ſacco colatorio*, per quem *vina eliquantur*, & a *fæcibus repurgantur.* Debuiſſet ergo, ad lumen *Rhetoricum* in *Lexico Buxtorf.* tam *Hebr.* quam *Chald.* principe loco locari *adſtrinxit arctius:* unde זקים *vincula*, *ligamina*, *compedes* in *Bibliis.* In fundo ampliore *Chal-*

dais-

daiſmi etiam *utres vinarii.* Vocabantur זקין, ab *arcto adſtrictu.* Hi apud *Arabes*, زقاق זקק & ازقاق אזקק, *collectiva* forma; a *ſingulari* زق זק *uter in quo vinum & alia reconduntur.* Apud *Hebræos* hanc etiam notionem obtinuiſſe tam parum ambigi par eſt, quam מזקק eſſe *percolando eliquatum*, ſive *ſacco percolatum* apud *Jeſajam.* Conſimillime *Græci* a σάκκος formarunt σακκίζειν & σακκελίζειν *ſacco percolare*, vel ut *Stephanus* maluit, *liquorem per ſaccum excolando transmittere*; afferens ex *Theophr.* & *Eupol.* οἶνον σακκιζόμενον *vinum ſaccatum*; cui oppoſitum ſit ἀδιΰλιστον *fæcibus non eliquatum.* Et quis tandem ignorat, *ſaccum* apud Auctores contritum pro *Colo*, & *ſaccare* pro *colare.* Quid ergo tam ſupine & contemtim enotabatur? „ *A SACCUS ſit SACCARE; SACCARE idem eſt atque* „ *COLARE: COLARE idem eſt atque TRANSFUNDE-* „ *RE* ". Adſtruatur: quamvis bene noverim Doctis id ſupervacuum venturum. *Mart. Epigr. Lib.* 12.

Σακκίζειν ſaccare.

Turbida ſollicito transmittere Cæcuba ſacco.

Sic *Plin. Saccis additum aniſum vina commendat.* Iterum L. 14. c. 22. *Vini vires ſacco frangere.* Hinc *ſaccare* invaluit pro ὑλίζειν, διϋλίζειν *colare*, *percolare.* Ita *Mart.* 2: 40.

Cæcuba SACCENTUR, quæque annus coxit Opimi.

Habes שמרים מזקקים *vina vetera ſaccatiſſima* Vatis noſtri: quæ *colatiſſima* etiam dixeris. Apud *Senec. Ep.* 86. *Saccata aqua* opponitur *turbidæ*; quæ & *colata.* Hæc per ſe jam ſplendent, & *copulam* a *ſacco* nexam ita adſtringunt, ut hinc reſilire non poſſit niſi ipſa vecordia, & ſtupor. Vexat tamen *Lipſienſis*, & quid palati habeat, faſti-

ſtidioſo dente prodit: pro caſſa nuce abjiciens, quod ſatis enucleatum autumabam: „ Atqui زق *Zaccon* inquit *non OMNEM SACCUM notat*, *non cannabinum*, *qui* „ *per laxos ſuos poros infuſa transmittit*, *ſed tantum Coriaceum*, *quem Latini* urrem *dicunt*, *neque illum omnem*, *ſed* „ *eum tantum*, *qui VINUM contineat*, *ſtrictiſſimis poris*, *non* „ *autem transmittat* ". Præfracta & violenta omnia. *Golius* noſter dicebat; *in quo vinum & alia reconduntur*. Si *Gjeubarium* adſpexiſſet, reperiſſet الزق السقاء vox זק *ſignat* שקוא *utrem lactis*, *vel aquæ*. Plenius in *Camuſo*, الزق السقاء اى الجلد للشراب وغيره vox זק eſt *uter aquarius*, *aut & pellis ad vinum*, *& alia*. In ipſum illum *Verſiculum*, cui *Nota* mea appoſita, *utri aquario* plus juris, quam *vinario*. Ex *Avicen*. L. 4: 1. teneatur زق الحداد *follis fabri ferrarii*. Sentit telum in ſe recidere, & turpem ignorantiam cum pari audacia hanc ridiculariam ſcenam implere. Quid? an per *Utrem non cannabinum*, *ſed CORIACEUM*, *qui ſtrictiſſimis poris vinum non transmittit*, *vinum non poteſt percolari?* An *colum* ex *utre*, vel *ſacco coriaceo* non poteſt parari, ut per metam ſtrictiſſimam vel Aromatites vinum eliquetur? Sed piget, tædetque nugarum; inter quas tamen non intactum dimittere poſſum, hocce in *ſaccandi Originem* deſtrictum: „ *Avis itaque dicetur* pullum ſaccare, „ *quando eum ſaccato nutrit* ". Fraude graſſatur. Ego dixeram, ad *Dialectorum* concordiam hoc ſub verbo ſanciendam: „ *nec abit* Gloſſema *apud* Golium, *roſtro in roſtrum* „ *inſerto aluit pullum ſuum* avis, q. d. *colavit*, *percolavit*, *eliquavit in os* ". Compreſſit *lucis* Oſor, quæ *lucem* ſaltem æquioribus prætuliſſent; atque *ſaccare pullos* intulit nude, de ſuo ſubjiciens, *ſaccato eos nutrire*. Spurcidicum! ut quod maxime: quodque *Acta Eruditorum Lipſienſia* dehoneſtat. *Sac-*

Frigidiſſima cavillatio.

Saccatum apud *Latinas* aures abſolute ſonat *ſaccatum corporis humorem*, quem *Lucret.* L. 4. vs. 102 . & *Q. Ser. Sammonic.* traduxere ad *Lotium*, *veſica*, *quaſi ſacco*, *percolatum.* Hinc *Arnob.* talium affectator non verecundisſime auſus *Lib.* 2. *inter pituitam & ſanguinem degere; interque ſtercoris hos utres, & ſaccati obſcœniſſimas ſerias.* Notaverat *Sannionum* ultimus, me etiam alterum *Gloſſema* verbi زرق, per ذرق *ſtercus excrevit avis* expoſitum, revocaſſe, ut ſine ullo dubio faciundum, ad *ſaccationem*, ut ſit proprie *ſaccavit*, *colavit*, *eliquavit fæces.* Geminum hunc uſum, diverſo utique *Charactere Metaphoræ* ſignatum, in unum conflavit, ut me reſpergeret, quaſi *fæcibus nutritos pullos* induxiſſem. Os improbum! *Arabes* hac in phraſi verecundiſſimi. Ejus dignitatem ſuſpiciendam præbet *Camus* هيمن قال امين والطاير على فراخه زقها اى على كذا صار رقيبا عليه وحافظا *Verbum* הימן *notat dicere Amen. De Ave adhibitum idem* הימן על פרוחה *Nutricium ſe præſtitit ſuper pullis ſuis*, *eſt* זק *ſaccavit eos*, i. e. *inſerto roſtro escam in fauces ingeſſit iis. Item* הימן *nutricium geſſit ſuper aliquid* (האמין) *eſt firmum & fidum ſe præſtitit cuſtodem.* Eſt ergo زرق זקק *colare*, *eliquare cibos inſtar Nutricis*, *atque infantibus in os ingerere.*

Haud ſpernendam hic lucem feret *Gallorum* politiſſima Lingua. Tritiſſimum iis verbum *Couler*, quod eſt ipſum noſtrum *colare*, *proprie* & *primario* ſignat, *paſſer une choſe liquide au travers du linge*, *du drap*, &c. *Couler de l'Hippocras dans une chauſſe.* Inde pulcherrimas figuras concepere, *Il a coulé ſa main dans ma poche*; de *crumeniſeca*; quaſi *colavit manum ſuam in crumenam meam*; pro *inſeruit eam*, & quidem *ſenſim ſine ſenſu*, *clanculum.* Etiam dicas licet, *il me coula une piſtole dans ma main*, *dans ma poche*; *cola-*

Illuſtratur Gallicum COULER.

colavit mihi nummum aureum in manum, *in ſacculum*. Seges talium, ex uſu *tranſitivo*. *Intranſitive* etiam percrebuit; *ce vin coule agreablement*; *vinum bocce colat jucunde*; *per fauces* videlicet *ſuaviter deſcendens*. Item *les liqueurs delicates coulent*. *Liquores delicati colant* : i. e. *imbibuntur ſumma* cum *voluptate*. Alia *Metaphora*, *un ſtile coulant*, eſt *FLUENS COLATO quaſi NITORE*: quam *Originem* ſignatiorem, hic in tranſitu inſinuatam velim iis, qui *Linguam Gallicam* in deliciis habent. In phraſi, *cela coule de ſource*, ad *colationem aquarum e fonte puro*, etiam hæc *origo* attenditur: quin omnes in univerſum uſus qua *tranſitivi*, qua *intranſitivi*, quos vel ultra *triginta* recenſere esſet *ſua* quadam *nota Rhetorica* percuſſos, a *colando*, per mediam *Latinitatem*, defluxere.

Gloſſemata quantivis pretii. Ad *Camuſum* revertor. In eo *Gloſſam* reperio, quantivis pretii ad *Originem* meam illuſtrandum الزقاق من يشرب الماء علي المايدة وفي فمه طعام זקק *ſaccator*, *colator*, *vocatur qui aquam bibit ſuper menſa*, *quum in ore habet cibum*. Cumulum imponat pretioſius adhuc *Gloſſema*, Harmoniam *Dialectorum* inſolubili vinculo per *Originem* meam adſtringens. الزق بالضم الخمر جمعه زققة محركة *Vox Zukk* זק *ſaccatio*, *colatio*, *deſignat VINUM recentiſſime preſſum*. *Ejus plurale collectivum* זקקה *Zekaka*, *duabus Koph per Phata expreſſis*.

Occurritur illuſioni. Imprimere tandem auſim hiſce omnibus *Simplex ſigillum Veritatis*, quæ nativa ſua luce, gratia, & virtute nemini non *Originem* noſtram commendabit. Caveant interim minus firmi, ne literarum ſimilitudine quadam ducti *ſaccare* a זקק *Zakak* dimanaſſe autument. Fortuita tantum eſt concurſio iſta, ut in מסתר *Miſtar* a סתר *Satar*, *velavit*, *myſterium* μυστήριον, haud dubie ἀπὸ τοῦ μύειν oriundo, aliisque ſexcentis.

tis. Nempe σάκκος a σάττω *farcio*, *onero*; noſtrum *adſtrictionem arctiſſimam* conſignat; atque per *ſaccum colatorium* ad ipſam *colationem*, cum *Metaphoris* quas perluſtravimus, pervenit.

Accedo ad tertium exemplum *longe petitæ* & *collo ob-* *Tertium*
torto attractæ Originationis; quæ mihi objectatur p. 695. *exem-*
„ *Verbum* مل *Malla*, inquit, *notat* cum tædio aver- *plum*
„ ſari; & *panem* ſub cineribus coquere. *Hæc* Hamaſ. *criſeos*
„ p. 327. *in hunc modum componuntur:* „ *Translatio facta* *capita-*
„ *eſt ad* tædium urens, & *reddendum*, *tædio coquere* ". *liſſimæ.*
Poſtrema illa iterum concerpta ex meis. Verſiculus grandi ſpiritu ibi conceptus

فوارس لا يملون المنايا
اذا دارت رحا الحرب الزبون ۞

Equites! quos non tædio coxerint Mortes
Quum mola volvitur belli contumacius colliſi.

De verbo يملون *tædio coxerint* has tantum ſtricturas dedi; eſſe *fut.* a مل *cineribus calidis*, *prunisve ſuppoſuit coquendum* panem, carnem; *atque inde ad* tædium urens *translationem factam.* Nihil ulterius adjectum; quod hæc ſcintilla ſufficeret cui tandem cumque paulo humaniori, quem fugere non poſſent uſus *Latini* ſub *Coquere.* Certe in *trivialibus* etiam addiſcitur illud de *Senect.* ex *Enn.*

O Tite, ſi quid ego adjûro, curamve levaſſo
Quæ nunc Te coquit, & verſat ſub pectore fixa;
Ecquid erit pretii?

En interim capitaliſſimam *Criſin*, unde hominem in *Lin-*

 guis

guis præpotentem, & formidolosum agnoscas „ *Possent* „ *hæc aliqua se specie sustinere, si* Malla *diceretur de causa* „ *tædii*, *&* *de re animum* tædio *coquente: & si in passivo* „ *diceretur homo quem tædium invasit, coqui. Sed active u-* „ *surpatur de tali homine*, malla, *ipse tædet*, *ipse coquit.*

Lepidum quid.

„ *Neque porro* tædium *affectus est tam acer*, *cui notio* co- „ ctionis *&* ustionis *congruat. In se quisque sentit*, *tæ-* „ *dium* mollem affectum *&* languidum *esse. Si notio* co- „ ctionis *in verbo* malla *hæret*, *mirum quod illud potius* iras- „ ci, mœrere, sollicitus esse *non notet* ". Incocta, indigesta, omnia; ut sine *summo tædio* legi nequeant, nedum refutari. Quid audio? „ *Tædium* est *mollis* & *lan-* „ *guidus affectus:* & *hoc quisque in se sentit* ". Huic homini nunquam *tædium* accessisse diceres, quem tamen *fortunæ* & *conditionis* suæ *tædere*, nemo ignorat, qui propius eum accessit. *Prorsus vitæ tædet*, alicubi *Cic.* scripsit, *ita miseriarum omnia plenissima sunt.* Nempe *molli* & *languido affectu* commotus, *emori* discupiebat.

Si non pertæsum thalami tædæque fuisset;

Ait Poëta; & *devorare tædium* dixit *Quintil.* nec non *rumpi*, *disrumpi tædio*, passim apud Auctores Sacros & Profanos. Inconsulti naturæ omnes, nam *Lipsiensis Medicus*, quem piget pœnitetque quod non *Philosophicam Lauream* a nobis abstulerit quoque, pronunciat *mollem* esse & *languidum* hunc *affectum*. Portentum hominis! cui *tædia* æque ac *odia* pectus permulcent, & *mollis languoris* implent; haud secus ac si *teneritudine* quadam *amoris* perfunderetur. Eandem *Philosophiam* celsiorem spirat & illud. „ *Ne-* „ *que porro* tædium *affectus est tam acer cui notio* coctionis „ *&* ustionis *congruat* ". Facessant jam genio & ingenio destituti omnes Scriptores, qui *Amori* ipsi *Ignes* & *Fa-*

Faces attribuerunt, cum *Ustione*, & *Coctione* ad medullas usque penetrante. Facessat Pater *Ennius*, quum *curam tædiosam* inducit, quæ *sub pectore fixa*, *coquat*, & *verset*, i. e. *torreat*, instar pisciculi quem *coquus versat* in *craticula* vel *sartagine*, dum frigitur. *Plaut. Bacch.* 4. 5. 6. *Coquere. Versare. Frigere.*

> *Versabo ego illum hodie, si vivo, probe,*
> *Tam frictum illum reddam, quam frictum est cicer.*

Homo noster ἀπαθὴς sit necesse est, quem acerbissima quæque vix tangant; quemque vitæ *venena* nec *urere*, nec *coquere* valeant: alter velut *Mithridates* venenis ipsis sese nutriens simul, simul communiens. Hæc *Philosophicam* & *Medicam* hominis *sapientiam* attingunt. Ad *Literaturam Arabicam*, meamque *Originationem*, pertinet clausula, „ *Si notio Coctionis hæreret in verbo* Malla ملّ *mi-* *Miserum glancoma.*
„ *rum esse quod illud non potius notet* irasci, mœrere, sollicitum *esse* ". Sane notat quoque *sollicitudinem*; notat *mœrorem*; notat ipsam denique *iram*, quæ a *tædio acerbiore* separari nequit. Si in *Lexicis* non reperiat Exempla, quid tum postea? In Auctoribus ea percrebra: & ex eodem Fonte facile cuncta hæc exeunt. Concedit ipse a *coquendo urendove* per *Originem* satis commodam deduci posse *sollicitudinem*, *mœrorem*, *iram:* at *tædium* inde posse, non concedit. Cum *tædio* contubernium fecit scilicet; idque *molliter* lateri ejus adhæret, & accumbit, credo; quippe qui se *tædiosum* vivis, *odiosum* facere gestiat posteritati. Sed satis lusum. Eludamus tandem. „ *Posset se* „ *aliqua*, inquit, *specie sustinere* (versio, *non coxerint Mor-* „ *tes*) *si* Malla *diceretur de causa tædii*; &c. *& si in* pas- „ sivo *diceretur homo*, *quem tædium invasit*, coqui. *Sed acti-* „ vum *usurpatur de tali homine* Malla, *ipse tædet*, *ipse coquit* ". Grave *tædium* & *nauseam* movent talia. Quid velit ca-

 vil-

villum, ne ipſe quidem aſſequor. Propoſuerat *Malla* notare *cum tædio averſari;* quod eſt *intranſitivum*, &, *panem ſub cineribus coquere*, quod *tranſitivum*. Subſumit, „ *Activum uſurpari de tali homine*, *ipſe tædet*, *ipſe coquit* ". Carpatur floſculus in tranſitu, *ipſe tædet*, *active* poſitum; pro *tædio afficit*. Vapulent jam omnes *Grammatici*, qui talem uſum expunxerunt. Vapulent omnes Auctores, qui eundem ſuppreſſerunt. Sed quorſum tandem omnis hæc argutatio? Voluitne ut converterem? *Equites qui non coquunt*, *Non tædent Mortes*, poteſtate verbi *Activa*? pro *non afficiant tædio*. Non putem. Si id intenderit, ſibi habeat. Exiſtimem magis, eum voluiſſe, *Equites qui non tædio averſarentur Mortes:* i. e. *qui a Mortibus non reſilirent tædio.* Eſt hæc *ſexta Gloſſa*, ſive *notio* ſignatior, apud *Golium*; quæ & mihi obverſata una cum *ſecunda*, *ſub cineribus prunisve coxit* carnem &c.

Coqui tædio, & coquere; ex æquo. Hæc potentia *Activa*, haud dubie *Matrix* eſt earum *ſignificationum Metaphoricarum*, quæ vel *febrim corporis*, vel *animi tædium*, *faſtidiumve*, vel *verſationem jactationemve febrilem* utriusque deſignant partim *tranſitive*, partim *intranſitive*. Addubitabam proinde, daremne? *qui non tædio coquantur Mortium;* an potius? *quos non tædio coquant Mortes.* Utrumque patitur *Lingua;* videbam eodem rediri; ſed magis Poëticum & ſonantius viſum poſterius. Si quis prius maluerit, haud pugnabo. Sed *Lipſienſis*, nec *coquere tædio*, nec *eodem coqui*, admittit, atque utrumque ut *male ſanum* & *obtorto collo* tractum explodit. Nempe ipſe explodi digniſſimus, qui cum ſatis magna peritia *corticis*, maximam & ſtupendam imperitiam prodat *medullæ* Linguæ *Arabicæ*. Ipſe utique *Poëta* noſtro in *Carmine* hanc *Originationem* ſibi obverſatam clariſſime indicat:

Neque deteratur ſtrenuitas eorum, *vel SI TORREATUR*
In bello. ——— ——— ———

Nem-

Nempe phrasis est solemnis صلي الجحيم *torretur ignem Gebennæ*, qua *Muhammed* delectatus in *Alcor.* ut *Sur.* 82: 15. & 83: 16. Item 87: 12. الذي يصلي النار الكبري *Qui torrebitur ignem maximum.* Iterum *Sur.* 92: 15. & alibi. Sublegit hunc flosculum Poetis gentis suæ, *Torreri* quibus perfrequens صلي الحرب *torreri bello*, vel *præliis.* صلي نار الحرب *torreri ignem belli;* pro *bellis præliisque quasi ambustum esse:* i. e. *maximum* esse *præliatorem.* Nil tritius in veteribus, quam صلاة الحروب *tosti præliorum*, pro iis, *qui fervidissimas collisiones magno animo exantlarunt.* Hæc, & alia, adnotavi ad *Hamas.* p. 328, nota annexa proxime isti, quæ nunc a *Critico Andabata*, qui quod ante pedes, videre nequit, laceratur. Eadem formula recurrit in *Exc. Hamas.* p. 438.

صليت مني هذيل بخرق
لا يمل الشر حتي يملوا ۞

Tostus est a me Hudeilita, *vehemente viro,*
Quem tædio haud coxerit malum, dum ipsi excoquantur.

Hoc est; *quem nullius mali, periculi, laboris bellici, TÆDIUM* *Lusus capiat, dummodo hostes illi nostri COQUANTUR TÆDIO* *ex Am-fortunarum suarum, & cladium, quas a me perpetiuntur.* Vi- *biguo.* deat jam an, quod supra asseverabat, *Arabes Ipsi, Veteres Poëtæ, primas verborum suorum Vires ignorarint?* Videat quam nullus sit, (cum omni sua *cognitione corticis*, qua superbit) in *nucleo Linguæ?* qui etiam tam apertas, & in illustri locatas *Originationes*, sive *Proprietates nativas*, a me ipsi præmonstratas, despiciat, atque cum fastidio aversetur, plebeji vere palati homuncio. Num *Gjeuba-*

rium Phiruzabadiumque legerit, ignoro equidem; neque enim eos a me poſcebat, quantum memini, neque *Codicibus* illis, quibus omni fere momento uti debebam, vel uno die carere potuiſſem: ſed ſi *Gjeuharium* ſedula manu contriviſſet, jam a longo *Originem*, quam produxi, perſpexiſſet ex hisce tam diſertis ut ne umbra quidem dubitationis cuiquam relinquatur. Incipit a poteſtate *intranſitiva*, in *tædio* protrita مل الشي سيمه *Uſtus*, ſive *coctus eſt rem*; h. e. *ejusdem pertæſus fuit.* Deinde pergit مللت الخبزة وامتللتها اذا جعلتها في الملة وكذلك اللحم والملة الرماد الحار قال ابو الاسود

Uri *vel* coqui *rem.*

اباتك الله في ابيات معتنز
عن المكارم لا عف ولا قار ۞
صلد الندي زاهد في كل مكرمة
كانما ضيفه في ملة النار ۞

Verbum hoc in I. מללת *incoxi panem*, & התמללתהא, *quum eum coquis ſub calido cinere: conſimiliter & carnem* &c. &c. *Eſt autem* מלה *cinis calidus. Dixit* Abul Aswad:

Alluſio manifeſta ad Originem.

Pernoctare te fecit Deus in ædibus averſi
Ab omni liberalitate; inhoneſti, inhospitalis:
Qui vix humorem exſudet prædurus, Abſtemius omnis Virtutis;
Tanquam ſi hospes ejus in cinere calido ignis jaceret.

Hoc eſt; *carnem calido cinere coctam* expectans, *ipſe cineribus illis coqueretur.* Pingitur *Euclio* quidam *Plautinus*, qui ne *ſubcinericio* quidem *fruſto*, raptim *aduſto*, & *ſemi-cocto*

cocto Hospitem ſuum *impertire* ſuſtineret. Adjectum ibidem.
وقال ابو عبيد الملة الحفرة نفسها
والمليلة حرارة يجدها الانسان وهي حمي
في العظم يقال به مليلة وملال ايضا
بالضم وهو يتململ علي فراشه اذا لم
يستقر من الوجع كانه علي ملة ☼
At Abu Obeid auctor eſt vocem מלה *ipſam foſſulam notare, (in qua ſubcinericeum coquitur videl.) Forma* מלילה. *adhibetur in calore, quem homo perſentiſcit ex febri fervente in oſſibus. Inde dicitur* בה מלילה *in eo eſt coctura ſubcinericea*, & מלול; *cum Damma ad primam Radicalem. Item* הו יתמלמל עלי פרושה *Ille ſemet coquit, vel uſtulat, ſuper ſtrato ſuo, quum non interquieſcit a dolore, tanquam ſi in foſſula calido ſub cinere uſtularetur.* Nihil diſtinctius conſignatiusque, quod ad *Originem*: ad quod qui herbam non porrigit, *Medicis* tradendus, vel ad *Anticyram* relegandus, haud dubie cunctis cenſebitur. Obruere hic poſſem meum hominem agmine exemplorum, ex Optimis Scriptoribus, ſæpe ad hanc ipſam *Originem* manifeſto alludentibus. Sed quid tandem lucrarer, me, Lectoresque præſertim meos, detinens? quum *Veritas* jam ſole ſplendidius reluceat: atque cum *tranſitivus* uſus *cocturæ ſubcinericeæ*; tum *intranſitivus*; partim *proprie*, partim *improprie*, in *fervidiore tædio*, *dolore*, aliisque *moleſtiſſimis affectionibus*, plenis ſe radiis offerat, videre volentibus: nolentibus nulla penes me Medicina.

Origo preſſius enucleata.

Quartum cui collum obtorſerim, *pag* 695. ita inſequitur. „ *pag.* 335. *Hamaſ. conciliatur Hebræum* צרוע *lepra*
„ *cum Arabico* صرع *Saron*, *Epilepſia. Nimirum ſtatui-*
„ *tur vocis origo eſſe in percuſſione. At quare tandem Hebræa*
„ *vox ſolam* Lepræ plagam *ſignificat*; & *non aliam quam-*
„ *que* graviorem *percuſſionem*, *quæ ligno*, *ferro*, *ſaxo*, *du-*
„ *ratum.*

Quartum ſpecimen, in cavillatoris caput revolutum.

„ *ra quacumque re perficitur*; apoplexiam, epilepſiam, co-
„ laphum?" Pugni pruriebant homini, quod & *colaphum* ſubjunxerit. Sed vide, & ride in ipſo limine *Hebræo*, quod nunquam adiit, alliſum, proſtratumque: צרוע *Tzaroubb* non *lepram* ſonat, ſed *lepra percuſſum*, ut l. c. dederam. At *lepra* ipſa צרעת *Tzarabbbat* nominatur. *Arabicum* صرع item vitioſe exaratur *Saron*, quum debuiſſet *Tzarbbb*; vel *nunnatione*, quæ dicitur, i. e. *tremulatione* fictícia ad finem *Tzarbbbon*. In his qui turbant, omnia conturbant. Rogat dein catus & perſpicax. „ *At quare* „ *tandem Hebræa vox ſolam Lepræ plagam ſignificat?* " Non notat ſolam: nam & צרעה *Tzirbbba* eſt *crabro*, vel potius *aſilus*, *tabanus*, *œſtrum*; ob *violentum*, quo *percutit*, *aculeum*. Ei nihil commune cum *Lepra*. Sed & illa *vehementiſſima* eſt *plaga*: merito per excellentiam dicta צרעת *Tzarabbbat*; ut diſcipulum meum degenerem nunc ſaltem guttula *Hebræa* reſpergam: qui ſi ſciviſſet eandem *plagam* alio nomine נגע *Negabbb percuſſionem graviorem* efferri; non ita ſe proſtituiſſet. Plena phraſis נגע הצרעת *Negabbb Hatztzarabbbat* eſt *plaga percuſſionis gravioris*, quæ *cutim decorticet*, tanquam *ſcutica* inflicta. *Impetigo excorians*. Vide *Lev.* 13: 9. 11: 12. 13: 15. 17. 20. 23. 25. 27. 29. 30. &c. &c. &c. ubi nunc *junctim*, nunc *disjunctim*, duo hæcce *vocabula* adhibentur. Si rogitarem *Medicos*, cur *Lepram*, λέπραν vocitarint Artis conditores; reſponderent, credo, quia *decorticationem* affert *cutis*. An ergo non alia quoque *decorticari* & λέπεσθαι poſſunt? Quid ſi *ſcabiem*, ſi *pruriginem*, ſi alia infinita? quid tandem aliud reponere poſſent, quam *uſum publicum* id ſanxiſſe. Homine *Medico* & *Literatore* indigniſſima profecto cavillatio; qua *ſcuticam* porrigit *percutere*, atque adeo tanquam incuſſo צרעה *Oeſtro* eum *exagitare* geſtientibus; ita ut in ſolas terras aufugere cogeretur.

Ad

Ad *Oestri* vim *Hebraicam* sub voce צרעה illustrandam subjiciam hic versiculum ex *Diw. Hud.* ubi *Abu Tzachr*, nostro non incognitus, ita canit,

Illustratur vox צרעה, OESTRUM designans.

ولكن مبعات الصبي تصرع الفتي
مصارع تردي نفسه اى تقارب ۞

Sæpe sane effusi impetus petulantiæ percellunt juvenem
Plagis æstriferis, quæ perdant animam ejus, exitio-
ve admoveant.

Talis صريع الصبي *percussus juvenilis petulantiæ*, οἰστροπλὴξ τῆς νεότητος, condigna formula, & صريع الغواني *Oestro percussus cantatricularum.* صريع النساء οἰστροπλὴξ *mulierum.* صريع الكاس والاعين النجل οἰστροπλὴξ *poculorum*, & βοωπίδων apud Poetas. Item صريع الخوف οἰστροπλὴξ *terroris*; & absolute صريع צריע *æstro percussus*, *furibundus*, in versione penes me MS. *Math.* 8: 28. مجنونان صريعين جدا *Duo dæmoniaci qui furore vehementissimo externabantur.* Consimiliter صرع οἰστροπληξία pro *externatione mentis* venit. Hoc οἴστρημα, vel οἰστρήλατον δεῖμα vocabulo צרעה expressum *Exod.* 23: 28. *Deut.* 7: 20. & *Jos.* 24: 12. nec est cur *vespa* vel *crabro* ad literam ibi teneatur. Differuit ea de re summus *Boch. Hier.* II. *pag.* 537. & seq. nec *Originem* nec *genuinam* vocabuli *vim* satis assecutus; quippe qui recurrat ad *metathesin* vel a עצר *pressit*, vel a רצע *perforavit*, obhærens in *vespa* vel *crabrone*.

Quintum vellicat & vexat specimen, p. 695. „ sub finem, & 696. سري *notat* noctu ire; *inde ductum* „ سري *sarijon*, excellentem, principem. *Hæc concilian-*

Quintum specimen proditur.

H „ *tur*

glossa inscitiæ. „ *tur pag.* 340. *Hamas: in ea, quæ figitur, verbi prima* „ *significatione* promicare, prominere, *Nos autem nondum* „ *intelligimus, qualis* promicatio *sit in nocturno itinere.* „ *Misera illa verba* micare, vibrare, secare, vellicare, „ turgere, & *eorum tota gentilitas, pejus vapulant in schola* „ Schultensiana, *quam* Lucius *in fabula* ". Ego in meo fugitivo contrarium experior *Lucii*, qui in *forma asini* hominem servabat, & quidem literatum, lepidum, argutum: Noster in forma hominis qualem se præbeat, judicent *Humaniores*. Hic quidem sedet ὄνος πρὸς λύραν. Mea verba sic se habent l. c. „ *Vox* مسري iter nocturnum „ *signat: itemque* imaginem, vel speciem *alicujus* de nocte oblatam; *Phantasiam:* a سري profectus est *noctu*: „ prominuit *proprie*, ac promicuit. *A prominendo est*
שר princeps, a preminendo. „ سري princeps, שַׂר *pro* שָׂרָה prominens, generositate „ eminens &c. &c. &c." Confer jam hominis *striblíginem* horridam. „ سري *notat* noctu ire; *inde ductum* سري *sarijon*, „ excellentem, principem ". Hoccine scribere est, an rudere? Sed ad rem. Apud *Golium* prostat sub سري 1. *liberalis & generosus fuit.* 2. *Noctu ivit & profectus est.* 3. *subivit, quovis pervasit.* 4. *rejecit* a se *deposuitque* vestem. Has esse *Glossas secundarias*, in quibus potissimum opera *Lexicographorum* absumitur, nemo non qui *Elegantiores* tractat *Literas* ultro agnoscat. *Prominendi & promicandi* proximam *Originem* arguit derivatum سارية *columna*, *trabs*, *arbor eminens*, *malus* navis: nec non سراة *superior pars* cujuscumque rei; ejus *prominentia* & *promicatio*. Inde imbre proclivius, *generosus & liberalis fuit*; quasi *prominuit*, & *promicuit* generosa liberalitate *ante omnes*, & *supra omnes*. Ejus *part.* سري שׂרה & שׂר *Hebr.* *Vir princeps*, prono quoque alveo fluit. Commentator *Ha-*

Haririi ad *Conſ.* 13. السري السيد الكثير المروة قال ثعلب ماخوذ من السراة وسراة كل شي اعلاه *Sarijon appellatur princeps præſtans generoſitate. Thalebus auctor eſt, deſumtam eſſe iſtam notionem ab uſu infin. per quem prominentia omnis rei ſignificatur.* Hoc ergo ſic ſatis eminet. Sed num gradum quoque tueri poterit *Noctu ire*, vel *proficiſci*; ex eodem fonte derivatum? Quidni? niſi apud tales, qui *ſuperficiem* tantum *Linguarum* perſtrinxere: vel ſic tamen taxandi, quod ad res evidentiſſimas cæcutiant, atque hebeſcant. *Prominere in iter* vel maxime quadrat utique in eum, qui id *noctu capeſſit*, & *ipſam prævertit auroram.* Conſimiliter *promicare* ſumma cum elegantia dicitur, qui vel *ad mediam noctem* conſurgens, ſe itineri committit. Nempe in *micatione* continetur *motus agilis*, qui utique *noctu* æque ac interdiu locum habet. *Latiniſſimus* noſter Criticus nullam agnoſcit *micationem*, niſi cum *luce* & *ſplendore* conjunctam. „ *NOS*, inquit, *nondum intelligimus*, *qualis* promicatio *ſit* „ *in itinere nocturno*". Magnifice illud *NOS.* Crediderim *ſolum* eſſe, & manſurum. Superbe etiam *nondum;* qui jam culmen conſcendit omnis *Literaturæ.* Vereor ergo qui *nondum*, ut *nunquam intelligat.* Intellexit *Plinius* L. 8. H. N. c. 43. *Ictus pedum creber aſino dormienti, qui niſi per inane EMICUERIT, repulſu durioris materiæ claudituatem illico afferet. Ideo ſpatioſa incubitant laxitate.* Quid? adeone homini ne notum quidem vulgare illud, *dignus qui cum in tenebris mices*; i. e. *fortiaris digitis micantibus:* nec non illud Poëtæ *Georgi.* 3.

Promicare. *Emicare.* *Micare.*

— *Micat auribus, & tremit artus.*

Itemque L. X. *Æn.*

Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.

Ex *Apulejo* ſaltem obſervare potuiſſet *promicantes lacrymas*, *plumulas*, *roſas*: quin &, ni memoria fallit, *promicare* vel *præmicare in curſum*, quod paſſim apud Auctores eſt *emicare*, ad illud Poëtæ,

—— *Longeque ante omnia corpora Niſus*
Emicat — — — — — —

Qui in *Latinis* tam parum experrectus, quid mirum ſi in *Arabicis* dormitet, atque exiſtimet *promicationem* cum *itinere nocturno* haud poſſe conſiſtere. Atqui *Arabes* hoc ipſum captarunt, ut ſplendidius, quum *Iter nocturnum Muhammedis*, quo eum nictu citius *in Cœlos raptum* tradunt, vocabulo المسري *Mesra* inſignitum voluere, quaſi *promicationem* dicas: eo fere aſpectu quo *Prudent. Hymn. martyr. Calagur.*

Præmicare.

Quæ viam Cœli PRÆMICANDO oſtenderent.

Ipſe ille *Verſiculus*, ad quem notulam appoſui, in quo مسري ſumitur pro *ſpecie de nocte oblata*, & quidem *Amicæ* Poëtam in carcere *viſitantis per phantaſiam*, nebulam pellere debuiſſet. Venuſtiſſime huc *promicationis* vocabulum admotum, ut & in *formula* سري طيفها *emicuit*, *promicuit* ejus *imago*: i. e. noctu *acceſſit* ad amatorem per *phantaſiam*. Quum hæc non intelligit in ſcriptoribus, qui ſe *Arabica Literatura* profundius imbutum, atque pertinctum profitetur, non eſt quod quiſquam Eruditioni ejus invideat. Quid? quod *Gloſſæ* illæ *Gjeubarii*, & *Camuſi*, quæ a *Golio* & *Giggejo* adductæ, neutiquam præluceant ad omnem Linguæ opulentiam atque ubertatem. Apud *Harir. Conſ.* 23. extat فقلت اخاف

اخاف ان يتّقد غضبه ويلفحك لهبه اي يستشري طيشه ويسري اليك بطشه ✪ *Tum dixi, metuo ne exardescat ira ejus, ejusque te flamma amburat; quin ne fulminans coruscet ejus promtior iracundia, atque PROMICET ad te ejus vehementia.* Substituatur ibi *noctu eat ad te*, & *Allegoria* splendidissima in fumum abibit. Iterum *Conf.* 14. وعففت ان يتنادي بي قوم اي يسري الي لوم *Horruique ne me multitudo infestaret, aut vituperatio ad me promicaret.* Admirabiliter profecto! ad qualia oculos attollere nequeunt, qui *Origines* despectant. *Promicat oratio*, vel *emicat ex ore*, etiam aureo ævo digna phrasis: *Promicare orationem*, pro *ex ore emittere*, ex *Nevio* annotavit *Non. Marc.* Excellentisme iterum locatum *Conf.* 5. cum allusione ad *Originem* فسرت حميا المسرة فيهم وطارت السنة عن اماقيهم & *promicuit fervidula vis lætitiæ in iis, somnusque qui in hirquis eorum residebat, avolavit.* Huc revocandum *tertium* illud *Glossema* apud *Golium*, *subivit*, *pervasit*, *incessivit*, *micante* scil. i. e. *celeri impetu penetravit*: ut in *Hist. Sur.* سري فيهم النار *pervasit eos ignis:* proprie *promicuit in iis*; quod nemo sane aspernetur, cui vel micula bonæ mentis.

Splendidæ phrases ORIGINEM nostram sancientes.

Si jam hunc in Campum fræna mihi laxarem, atque omnem copiam verbi potentissimi discuterem; vereor ne *Laureolam in Mustaceo* potius quærere viderer, quam *publicæ* satisfacere *expectationi*, in confutando importuno homine, qui nescio quam *Tyrannidem* affectat, ne servitutem quidem ultimam servire dignus; quippe qui malignitate sua quicquid tetigerit, attaminet. Ex hoc fonte certe & hoc, ex nostro *Promicare* arreptum: „ *Misera illa* „ *verba micare*, *vibrare*, *secare*, *vellicare*, *turgere*, & *eo-* „ *rum tota gentilitas, pejus vapulant in* Schola Schulten-

Ridicularium quid.

„ sia-

„ siana, *quam* Lucius *in fabula* ". Perfacetum scomma; hominis Genio dignum; qui adversus stimulum recalcitrare non veretur. Ut *Orbis Eruditus* mecum hic quoque agnoscat incredibilem inscitiam, & ἀλογίαν, per quam Arcem scientiarum occupare nititur; teneatur, illa quæ hic enotavit verba *Latina*, in constituendis *Originibus* vel *Hebraicis*, vel *Aramæis*, vel *Arabicis*, crebriuscule recursare, quia in *Dialectis* illis, ex *Antediluviana* vetustissima propagatis, abundantia major est verborum, quæ *micationi*, *vibrationive* sint dicata, quam ut iis Copia *Latina* respondere queat per totidem diversa vocabula. Idem de *secando*, *vellicandoque* intellectum velim. Idem quoque de *turgendo*; omnique & hujus & illorum gentilitate. Nempe apud *Arabes*, *Aramæos*, & *Hebræos*, vel ad *centum Themata* reperiuntur, quibus subjuncta vis *micandi*, *vibrandive*: item *secandi*, *vellicandive*, vel ad *ducenta*: *turgori* consimiliter exprimendo *agmina verborum* subserviunt. His, aliisque id genus innumeris, totidem verba *Latina* accommodare tam parum conceditur, quam vastissimas *Orientis Regiones* tenui *Italiæ tractu* adæquare. Fieri ergo nequit, ut quum tot *micandi*, *vibrandive* verbis gaudeant *Orientales*; ubi *Latinis* tam exigua adsit manus, vel si *splendere*, *fulgere*, *rutilare*, *coruscare*, *radiare* in subsidium advocaveris; fieri, inquam, nullo pacto potest, ut non creberrime recurrant *Latina* illa, in primitiva potestate *Radicum Orientalium* enucleanda. Hoc jam vocat homo *philautia* ita *turgens*, ut periculum sit ne brevi crepet, „ *Vapulare in Schola Schultensiana pejus quam Lucius in Fabula* ".

L. L. O. O. præpotentes in synonymia.

TURGOR variis gradibus se exerens.

Quid sibi vult illud *vapulare?* An quod locum suum intrat, & justo nomine implet, *vapulare* dici potest? Dantur utique *gradus turgoris*, tam varii, tam mirabiles, tam incredibiles, ut si quis omnes distincte expressum ire atque ad

ad vivum depingere vellet, ne affluentia quidem *Orientalis* ei sufficere posset. Datur *levior turgor vani*, & *inanis*. Datur nonnihil *increscens* ille *ventosi* & *jactabundi*; datur *altior* adhuc *elati* superbius & *inflati*: eum exsuperat *turgor arrogantis*, & *insolentis*: hunc tamen iterum superscandit quam longissime, *turgida* illa *impotentia* mentis qua quis nec valde literatus, nec valde eruditus, *Eruditis* ferme omnibus, ipso haud dubie *majoribus*, & *melioribus*, proterve insultat. Datur — — — sed reprimo me: atque celsiorem adhuc, qui superest, gradum ac cumulum omnis *turgoris*, suo loco reservabo.

Si jam *Lingua* aliqua extaret in mundo, tam dives, tam potens, tam copiosis fontibus scaturiens, ut omni huic intemperiei *ventosæ stoliditatis* attemperare valeret totidem, & plura adhuc, *verba turgoris* plus minusve *se inflantis*, & *evehentis*; an ea in *Lingua* vapulare dicendum esset vocabulum *Turgendi*; an vero admiratio inde incessere deberet omnes veri nominis *Literatores*? ut tantam *opulentiam synonymorum*, vere & pressius ita dictorum, adstuperent: atque istam *dotem eminentissimam* summis laudibus concelebrarent. Hanc esse *Hebræam*, pro exigua illa, quæ nunc superstes, portione *Sacri Codicis*; hanc *Aramæam* pro sua item parte: hanc denique *Arabicam*, pro amplissimo, quod inter *Dialectos Linguæ Primævæ* conservavit, patrimonio; vel disciplinæ meæ *Alumni*, si quid humanitus mihi acciderit, demonstratum ac pervictum dare poterunt, ad ea, quæ ex ore meo hauserunt, in cursu illo *Originum*, quem in *Acroamatibus Academicis* jam multos per annos tradidi; & brevi, si sperare fas, consummabo.

Sextum specimen torsionis violentæ.

Sextum, quod censorio stilo configit, exemplum *torsionis violentæ*, qua me in *Originibus* uti jactat, est *pag.* 696. quod ad *Hamas.* p. 342. annotaverim, „ *Verbum* غلق
„ *est*

„ *est* clausit; *in secunda conjugatione* profectus fuit *per ter-* „ *ram*, *quasi dicas* appactus terræ obhæsit " *Nos vero.* „ (ita subsumit jam ipse) *credebamus appactus terræ si quis* „ *obhæserit*, *eum non tantum non proficisci*, *sed ne de loco* „ *quidem moveri* ". Quid illuc tandem est hominis dicam? an — — —? Fingit sibi pro libidine, atque dein pingit in publico, ineptias ineptissimas, quas tanquam a me profectas offerat illis, quos meæ Methodo haud adeo favere, perbene callet. Enimvero ridiculus essem, & merito exsibilarer, si talia conscribillassem. Sed quid jam ille commeretur, qui notulæ meæ iterum crura suffregit? Ea sic habet. „ مغلق *part. pass.* IV. *a* غلق „ clausit, *pessulo*, *obice*, *vecte.* Origo *sita in* appangendo, *unde diversæ* metonymiæ *subsumtæ*; ut apud *Gol.* „ *num.* II. (nempe *primæ conjugationis*, non *conjugatione* „ *secunda*, ut incogitanter ille: nam data opera & hoc turbatum, ne suspicor quidem), procul abiit *&* profectus „ fuit per terram غلق في الارض q. d. *appactus ter-* „ *ræ obhæsit.* Et *num.* IV. obstrictum cessit creditori „ *pignus:* i. e. appactum fuit. *Gravi* metaphora, غلق „ رهنه appactum hæsit pignus ejus, *apud* Harir. *est* „ obiit, fato functus est " &c. &c. Reliqua, quamvis haud leve momentum ferre possent, ad *Originem* meam suffulciendam, omitto; quia ex hisce eam confirmatissimam dare possum: quin dedi, pro iis qui in *Linguis* subacti. Hoc nempe voluit brevis nota, cui nervi (astute jam, & dolo) incisi, quibus unice stare posset; غلق עלק in *prima conjug.* usu vulgari sonare *clausit* portam, *active*; quod ex *Origine* valeat, *appegit* portam. Inde ajo diversas *metonymias* processisse, ut *pangendi* verba omnibus in Linguis in usus *Metonymicos* perfœcunda. Excutiat modo quisque sinum, sive *Latinum*, sive *Græcum*, sive *Domesticum*. Ex illo fon-

fonte *Metonymico* derivo quod *num.* 2. ſub *conj. prima* apud *Golium* proſtat, poteſtate *intranſitiva*, *profectus fuit* per terram غلق في الارض *appactus fuit in terra*, ad verbum, quod *Phiruzabad.* in *Camuſo* una vocula exponit امعن *longius ſe provexit* in itinere, negotio, aliisque rebus. Hoc quum mihi ante oculos verſaretur, & quid *Goliana Gloſſa* ſat luminis præferebat ad *iter* & *profectionem longiorem*, non dubitavi apponere, *quaſi dicas*, *appactus terræ obhæſit.* Neminem ſuſpicabar tam *hebetem* fore, atque noſtrum nunc eſſe deprendo; ut in *metonymica* acceptione, quam *Golius* per *procul abiit*, *profectus eſt per terram*, declararat, de alia *appactione* cogitaret, quam *ſtudii* ad *iter per terram peregrinam proſequendum*, vel *negotia* in illa *gerenda.* Adjeci iſto ſcopo, *appactus terræ* peregrinæ ſcil. *obhæſit*, nempe *negotiis* ibi *obeundis*; *diuturnas moras nectens* illo in longinquo itinere, nec Laribus ſeſe patriis reddens.

Splendida metaphora vindicatur.

Si verboſa hacce enucleatione uſus fuiſſem; merito me caſtigaſſent non *periti* ſolum, ſed & *imperitiores*; ac ſi *ſtipites* cenſerem, vel *fungos*, qui mea lecturi eſſent. Miſellus tamen noſter, qui cornicum oculos configere ſe poſſe cenſet, talem ſe prodit denuo, qualem ego nullum in terris extare poſſe credebam: „ *NOS credebamus*, *ap-* „ *pactus terræ ſi quis obhæſerit*, *eum non tantum non pro-* „ *ficisci*, *ſed ne de loco quidem moveri* ". O Magiſtrum aurea ſtatua donandum, qui tam pulcris nos præceptis beët!

Plumbea Criſis.

Jam quicquid in Auctoribus admirabiliter credebatur figuratum, & magnis luminibus diſtinctum, una litura extinguat. Non amplius dicamus; *affixum hærere foro* cum *Cicer*: pro *crebro in foro verſari*: non *appactum eſſe terris alienis*, pro *diuturnas ibi moras trahere.* Directa fronte pugnant *affixum* eſſe *foro*, & *in eo verſari*: ut & *appactum*

Affixus foro apud Cic. appactus apud alios.

eſſe *terris alienis;* & *per eas peregrinari* atque *iter facere.* Faceſſat *Eloquentia*, faceſſat *Rhetorica*, ut *Novicio Literatori*, qui *impropria* a *propriis;* qui *figurata* a *ſimplicibus;* qui *grandia* & *excelſa* ab *humilioribus* dignoſcere haud valet, ſed qui de cetero magnam habet in *Latinis*, *Græcis*, *Arabicisque* volubilitatem, majorem audaciam, imaginationem ſui multo maximam, culmen capeſſere liceat omnis illius *Literaturæ*, in qua ſe præminere, & quicquid eſt, fuitve, Virorum, præ ſe deleri, arbitratur.

Phraſes ſublimes ſub غلق appingi.

Permirum autem mihi accidit, quod huic uni particulæ longioris notæ meæ dentem *Criticum* impingens, reliquos omnes numeros prætermiſerit, in quibus *Origo appactionis* non minus clare relucet; ut *num.* 4. apud *Golium* غلق رهنه *obſtrictum ceſſit creditori pignus*, quod ad *proprietatem* ſonare dixi, *appactum hæſit.* Hoc inſigni *metaphora* elatum ab *Iſpahan.* loco ſupra jam adducto, *Urbis Sanctæ pignus propemodum nonaginta annos infidelitati appactum obhæſerat.* Signatur & ibi, alio licet flexu, *longior illa & diuturnior mora;* qua *Sancta Urbs ſuis quaſi e ſedibus exularat.* Adjeceram ex *Harir.* quod hic plenius dabo, quia mirifice fini meo ſubſerviet *Conſ.* 19. ثم ارجف بان رهنه قد غلق ومخلب الحمام به قد علق *Tum rumore divulgatum, Abizeydi pignus eſſe appactum; & unguem Fati eidem impactum.* Submonui nempe eadem notula ſororium علق per *Ain* ſine puncto, *ſuſpenſus adhæſit*, ex eadem hac *Origine* proprie valere, *impactus fuit.* Huc alluſum a nitidiſſimo ſcriptore, palam eſt.

Appactus ſermo.

Sequitur apud *Gol. num.* 5. *moleſtia animi, tædio, & impatientia laboravit:* quaſi dicas, *adhæſit appactus*, & ad ἀπορίαν redactus. Res ſupra omnem aleam evecta; nam & inde كلام غلق *ſermo appactus; unde exitus non reperiatur:* ex uſu proprio *Iſpahan.* dedit الاجسام وغباض

وغياض غلقة متناشبة *saltus sylvæque appactæ ramis, atque inter se perplexæ;* quas nullo modo penetrare sit. E *Diw. Hud.* habeatur etiam, quod in *Glossariis* Appactus luctator.
frustra quæras مجادل غلق *colluctator appactus*, i. e. *Succario* expositore, شديد الجدال *vehementissimus in lucta*, qui nexus nodosque ne tantillum quidem relaxat. Vel solus *num.* 6. auriculam homini vellicare debuisset, غلق ظهر البعير دبر دبرا لا يبراء Appactum dorsum.
ex nimio onere sauciatum fuit tanta intertrigine dorsum Cameli ut sanari non potuerit; ulceribus videlicet *appactum.* Nec non *num.* 7. غلقت النخلة دودت اصول سعفها ما يقطع حملها *Dicitur palma* עלקת, *quum vermiculantur radices ramorum ejus, quorum nimium onus non rescinditur.* Qui non sentit hic, *appacta fuit palma quasi per vermiculationem*, nihil sentiat necesse est. Hæc e *Camuso* hausta, qui universam discussionem nostri thematis sic inchoat الغلقة شجيرة مرة بالحجاز Origo nostra propius adstructa.
وتهامة غاية للدباغ والحبشة تسمم بها السلاح فقتل من اصابه واهاب مغلوق دبغ به *Vox Ghalaka* עלקה *notat arbusculam amaram in Regionibus Higiaz, & Tehama: Ea valde expetita coriis macerandis. Habassii hinc arma venenant; quibus tactus, interit. Maceratum ita corium* מעלוק *appellatur.* Nomen a *glutinosissima appactione* invenisse hanc arbusculam, vel cæco jam manifestum. Quid ergo hominem in hanc notulam impegit? Fieri potest ut clausula eum irritarit, quum ita finio. „ *Habes APPACTUM principe loco collocandum. Linguæ dignitas, constantia, ubertas, per hanc* „ Originem *sub sororiis Radicibus* غلق & علق „ עלק *reflorescit* ". Hoc bilem ei in nasum concivit. Pati nequit ut reflorescant *lumina* & *ornamenta*, quæ ut

femper contemfit, ita nunc extincta cupit, ne *Eruditionem* fuam *Arabicam* quam fine ulla *Rhetorica luce* tractavit, extingui, oleumque fibi ac operam, præcipua in parte illorum ftudiorum, periiffe, tandem experiatur.

Septimum fpecimen malignitate omni turgens.

Eundem hunc ludum ludere fuftinet in *feptimo*, quod concerpfit, fpecimine mearum *Originum collo obtorto attractarum*; *pag.* 696. ita pergens. „ *Verbum* هبل *Habala varia fignificat*, carnofus effe, liberos morte amififfe; (*unde* هبول Habul, mater liberis orba) fuis victum comparare; mentiri. *Hæc unum fub jugum omnia coeunt p.* 383. *Hamaf. puta fub notionem* turgendi: turfit eum mater, *vel* turgida eum anhelavit; *id eft*, orbata eo fuit per mortem, turgens, turgore anhelans, turfit in venationem victus, cum inflatione turfit, meras vanitates proflavit ". Ne verbulum quidem adjectum pro *Epicrifi*, qua fane fuperfedere poterat, qui *confufiffimum* hocce *Chaos*, quod pro libidine fua iterum conflavit, fufficere fentiebat, ad odium faftidiumque mei incutiendum omnibus *Acta Erud. Lipfienfia* infpecturis. Nil immoderatum dixero, fi hanc *publicam* appellem *graffaturam*. Hanc non honeftius depellere poffum, quam integram meam notam, quantumvis longiusculam, oculis *Orbis Eruditi* fubjiciendo. Ad extremam partem *Hemiftichii*.

فشب غير مهبل ۞

Qui adolevit minime turgidus.

appofui, quæ hic ad verbum reponere cogor. „ *Trifariam*, *vel quadrifariam*, *exponitur* مهبل *part. paff.*

Fraus discutitur.

„ II. *In* Golio, 1. amiffus morte *filius ab* هبل „ *nempe*, *quatenus valet* orba manfit *mater*. 2. carnofus „ &

„ & facie turgens; *ab* هبل multa ac cumulata gra-
„ vavit caro. *Inde* & 3. congeſta carne prædītus. *De-*
„ *nique* 4. devotus diris & maledictus. *Mediæ* Gloſſæ
„ *cohærent; prima & quarta valde diſſident. Quintam adje-*
„ *cit* Tauriz. ذكر بعضهم ان المهبل
„ المعتوه الذي لا يتماسك فان صح
„ ذلك فكانه من الاسراع يقال جمل
„ هبل اي سريع Ajunt nonnulli מֻהבל ſigni-
„ ficare veſanum, qui non ſit compos mentis. Hoc ſi
„ verum, videtur a feſtinatione ductum; dicitur enim
„ camelus הבל, i. e. feſtinus. *Mihi quidem pro ſerie*
„ (carminis ſcil.) *nil aptius viſum, quam quod num.* 2. &
„ 3. *comparet: idem ſciſcit* Gjeuhar. *hunc ipſum verſum ci-*
„ *tans, ad notiones iſtas adſtruendas. Adjecit & ſpeciem*
„ IV. *eadem poteſtate, citata traditione* Ajeſchæ, *uxoris*
„ Muhammedis. النساء يومئذ لم يهبلهن
„ اللحم اي يرهلهن السمين Mulieres iſto die *Re-*
„ *ſurrectionis* non יהבלהן caro; hoc eſt, non turgore
„ eas inflabit pinguitudo. *Locus eſt quantivis pretii qui*
„ *Originem pandit verbi* هبل הבל *non ſolum pro* A-
„ rabica Dialecto; *ut ejus ope quæ pugnare videbantur, in*
„ *concordiam gratiamque redeant; ſed etiam pro* Hebræa; *Thema*
„ *ubi* הבל vaneſcere, & הבל vanitas, *ab* inflatione tur- הבל
„ gida *emanarunt.* Cl. Cocc. *ex uſu* Thalmud. *jam addu- claro lu-*
„ *xerat proprietatem* halitus, & vaporis, *indeque* vanitatem *mine*
„ *deduxerat. Non diſplicebit proinde* Harmonia, *jucunde perfun-*
„ *nunc refloreſcens, qua* הבל *deprenditur primariam vim ditur.*
„ *poſſediſſe* inflationis & vaporationis, *e* flatu *oriundæ.*
„ *Hinc in* II. هبله اللحم *itemque in* IV. اهبل,
„ *eſt* turgore inflavit, gravavitque eum caro: & *part.*
„ *paſſ.* مهبل Turgidus. *In* I. *item,* اهبله هبله

 „ Tur-

„ Tursit eum mater ejus, *vel* turgida anhelavit eum, *de-*
„ *claratur* ثكلته orbata fuit eo per mortem.
„ *Est insignis* Glossa, *quæ & in* هبول turgens, turgo-
„ re anhelans, *recurrit*, *de* matre ثكول liberis or-
„ bata: *nec non in* VIII. *apud* Phiruzabad. *in* Camus,
„ اهتبل على ولده اتكل tursit, *vel*
„ turgidus anhelavit super filio suo; *est*, eo orbatus fuit.
„ *Alio flexu, sub eadem specie, ibidem:* اهتبل
„ لاهله تكسب كهبّل وتهبّل „
„ Tursit anhelus pro familia sua, *est* victum comparavit
„ ei, quod & in II. & in V. obtinet. *Ita nos* zwoegen.
„ *Iterum* اهتبل الصيد Anhelavit venationem, *est*,
„ Anhelus eam captavit. *Inde* الهبّال الكاسب
„ المحتال والصياد „ Anhelator הֶבֶל usurpatur
„ pro eo qui victui conquirendo omnia machinatur: item-
„ que Venator. *Belgice* een Zwoeger. *Agmen claudat*,
„ *atque omnia adstringat*, *hæc* Glossa Camusi, اهتبل
„ אתהבל كذب كثيرا „ valet, mentitus est mul-
„ tum: *quasi* cum inflatione tursit; meras vanitates pro-
„ flavit: Ἀσθμαίνειν. πνευστιᾶν. φυσᾶν. Anhelare, Turgere. *Hoc*
„ Job. 27: 12. *est* הבל הבל vanescere vanitatem ".

Dies suus insigni Themati redditur.

Jucundissimus ex hisce dies affulget omnibus, quos atra sua nocte secum circumfusos voluerat Recensor *Lipsiensis:* atque jam Te ipsum, Celeb. *Menkeni!* Arbitrum, atque adeo Judicem fero, quid de hujus hominis malignitate, qua adversus me in *Actis* vestris, *Orbem Eruditum* splendidissime demerentibus, grassari ausus est, constituendum esse censeas: & quo tandem nomine, qua nota, afficiendum autumes, qui tantum concipere facinus, tan-

tantum in se admittere voluit piaculum, quod ne maria quidem omnia abluere valeant.

Radii, qui ex inserta longiore mea Nota undique relucent, illustriores sunt, quam ut *vero lumine Critico* non ferierint, ac complerint, oculos Tuos, quem inter præcipuos nostri seculi *Literatores* mecum *Respubl. Erudita* suspicit, atque veneratur. Tu, quamvis forte *Arabicis Literis* minus tinctus, tamen in hac ipsa *Tabella* mea resplendere persentiscis illa eminentissima *Ornamenta Rhetorices*, quæ in *Græcis* & *Latinis* Auctoribus Tecum omnes admirantur, quibus ista in adyta sese penetrasse datum. Permitte mihi, Vir Excellentissime, ut quod Tu intime jam, hæc mea perlustrans, introspexisti; aliis non tanta copia *Linguarum Doctarum*, non tanta quoque *acie Critica* pollentibus, introspiciendum præbeam.

Incipio a verbo *Turgere*, protrito illo quidem, sed non omnibus pro divite illa copia, qua gaudet apud Auctores, satis promto forte. Ejus *Origo*, sive *nativa virtus*, unde cuncta pendent, haud dubie est. I. *Inflari cum tumore*, vel *ventosius tumere*: ut quum dicitur *Turgent vela ventis*; unde apud *Horat.* Turgere *Latinorum illustratur.*

Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela. Turgent *vela.*

Quæ huc pertinent, exequi haud attinet. Hinc II. subnatus *turgidus uter*, vel & *uterus*, se *proprie* & *improprie* præbens. *Pers. Sat.* 3. vs. 98.

Turgidus hic epulis, atque albo ventre, lavatur. Turgidus *epulis*.

Item Juven. I. 142.

Pæ-

Pœna tamen præsens, cum tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.

Idem L. 2: 141.

Turgida Lyde.

— — — steriles moriuntur, & illis
Turgida non prodest, condita pyxide, Lyde.

Ubi *anus turgida* bifariam exponitur, tum quod ipsa *turgeat præpingui ventre*, tum quod *matronas pyxide* sua *turgidas*, i. e. *gravidas* reddere se posse jactitet.

Turgent *segetes, humus.*

Huc III. revocandus insignitior usus, quo *turgere* dicuntur *frumenta*, *segetes*, ad illud Poëtæ:

Frumenta in viridi stipula lactentia turgent.

Sic *Claud. Pros.* 2. vs. 90.

Quaque volat vernus sequitur rubor, omnis in herbas
Turget humus ——

Turgere gemmatione vitis.

Disertim *Plin. L.* 17: 14. *Prægnantes ut sint*, i. e. *gemmatione turgentes, & qui parere speraverint illo anno surculi.* &c. &c.

Non una IV. potentia auctum illud *Horat. Od.* 3: 13.

Cras donaberis Hædo
Cui frons turgida cornibus
Primis, & Venerem & prælia destinat.

Turgere cornibus, *&c.*

Nempe, *turgere* dicitur *cornibus frons* petulci animalis, quum jam erumpunt indicia utrumque certamen meditan-

tantis. Nempe & *turgere in prælia* appofitiffime figuratum, pro *turgidis animis fe ad prælia ineunda comparare*; quam formulam in *Opusculo de Defect.* illuftravi. *Turgere* in prælia.

Vicinum V. hocce *Silii* 2: 546. de *Serpente*

Sibilat, infurgens capiti, & turgentia circum *Tur-gentia* colla.
Multus colla micat —— ——

VI. Ad *orationem* quoque *tumidam* translatio facta. Ut *ad Herenn.* 4: 10. *Oratio turgens & inflata.* De *Art. Poët.* 27. *Turgens* Oratio.

—— *Profeffus grandia, turget.*

Ea nempe *vanitate ventofiffima* quam *Perf.* notavit *Sat.* 5: 19. 20.

Non equidem hoc ftudeo, bullatis ut mihi nugis *Turgescere* nugis bullatis.
Pagina turgefcat, dare pondus idonea fumo.

Eandem ad vivum pinxit *Hieron. Tom.* I. *Spumabat os; volubilis Lingua turgebat.* Huc pertinet quoque *Hor. Sat.* I. 10. 36.

Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona.

Alio flexu VII. *Turgere* dicuntur qui *in fermento jacent* vel *iræ*, vel *triftitiæ*, vel alterius affectus. De *Ira*, & *indignatione fufflata* vehementius paffim. Ita *Ovid. turgida ora* attribuit *irato*, & *Apul.* dixit *vultu turgidum* pro eodem; quin *vefania turgidum.* Ex *Plautino* fonte abunde notuit, *Tota turget mihi uxor nunc, fcio, domi*: nec non *Turgere* ira.

K *Nunc*

Nunc in fermento tota est, ita turget mihi.

Turgescere tristibus iris. quæ in *Fabro* prostant. *Tristitiam* admiscuit quoque *Cic.* 3. *Tusc. Cap.* 9.

At mihi cor penitus turgescit tristibus iris.

Turgent genæ. VIII. Dicuntur item *oculi in fletum turgere*, quum *lacrymas* vel *profusuri* sunt, vel *largiter profudere*. Apud *Sen. Agam.* 762.

Turgent pallentes genæ.

Intellige *genas oculorum* sive *palpebras*, quæ *in fletum tumescebant*; ut recte Magnus noster *Gronov.* Apud *Catull. Epigr.* 3. extat

Turgiduli ocelli. *Fletu turgiduli rubent ocelli.*

Iterum *Val. Fl.* 2. 464.

——— *Dejectaque Virginis ora*
Cernit, & ad primos TURGENTIA LUMINA FLETUS.

TURGENTIA lumina. Agitur de *Hesione* ad litus Belluæ marinæ exposita. Legitur & *fluctus*, nempe *lacrymarum*; ut *Pius* censebat. Rectius *à* *mûro* *Burm. ad primos fluctus maris commoti:* quando *turgentia lumina*, signabunt *oculos larcymarum plenos*, earumque *fluxu* quodam *tumentes*, quum, ut *Tibul.* ait,

Lacrymis lumina plena madent.

Sic

Sic fuerit *Metaph.* desumta a *fluvio*, qui *turgere* dicitur, & *deturgere*, quum aquæ *increscunt*, & *decrescunt*.

Vindiciæ contra Criticum turgidissimum.

Ecquid jam ulli mortalium vel minimum relinqui potest dubium in *Glossis Arabicis* superius a me digestis? Omnino *Barbarus* sit, necesse est, & ab omni *Humanitate* destitutus, qui in hisce non agnoscat splendidissimum lumen *Rhetorices*, quod diversissimos *tropos*, flexusque, suavissima *concordia* revinciat. Talem *concordiam* cane pejus & angue odit *Lipsiensis* ille. Appellat hoc, *numerosos greges Arabicorum boum, qui in* Goliano *stabulo fremunt & luctantur.* &c. &c. *levi brachio conjugare*: qua humanissima phrasi & hic oblectatus, ait, me & in هبل הבל *omnia unum sub jugum misisse.* Quid ni? jubente Natura; jubente Lingua; *Harmonia Dialectorum* id ipsum ita sanciente, ut qui inde resiliat, pro هبل *vesania turgido & ne sui quidem compote* ab omnibus sit habendus.

Aliud verbum Anhelare cum usibus suis.

Cum *turgido* illo *flatu* intime conjuncta sunt verba *halare*, & *anhelare*; quorum si patentissimam ditionem exequi vellem, longior adhuc cursus foret emetiendus. Stringam tantum paucula, quæ *Tabellæ* nostræ ultimam manum imponant.

Anhelare exprimit *graves suspiritus imo pectore ductos.* Dein varios affectus consignat, ut *tristitiæ*, & *mœroris*; apud *Sil.* 8. 660 *Anhelat clade futura.* eodemque sensu *pectus anhelum* est *mœrore oppressum.* Inde *anhela mater* apud *Arabes* هبول a *Glossatoribus* exponitur per ثكول *liberis orbata;* quæ per universam vitam *turgeat mœrore* & *anhelet* videlicet. Item اهتبل علي ولده *Anhelus tursit super filio suo*, vel ut in notula dederam, *Turgidus anhelavit* super *filio*; hoc est *eo orbatus fuit.* Qui talia fastidiunt, quid tandem palati habere censendi? Iterum alio flexu اهتبل لاهله *Anhelavit pro familia sua*; pro *victum ei comparavit*, nempe *anhela ducens ilia*,

Anhelare mœrore, labore, studio.

 at-

atque *intensissimo studio* ac *labore sese fatigans.* Hoc qui non observant in legendis Auctoribus, quid tandem vel intelligunt, pro *Lingua*, vel utile & jucundum inde expromere valent? Eodem adspectu اهتبل الصيد *Anhelus captavit sibi venationem.* Sic *Latinissime* dicas, *anhelare prædam*; *victum*, alia. Huc pertinet in *Camuso* الهبالة الطلب *Anhelatio* est *studium*, *quæsitio:* & اهبل اسرع forma אהבל *in Aphhal* valet *festinavit*; q. d. *anhelanter egit.* Apud *Latinos* quoque *anhelare* est *festinare*; & *anhelanter* pro *festinanter* usurpatum. Elegantissima iterum phrasis

Anhelare occasionem.

اهتبل الفرصة *Anhelavit occasionem* pro *Anhelus eam captavit*; *insidiatus est.* Frequentatur in *Historia antiqua Persiæ*, floridissimo stylo *Arabice* conscripta; inter MSS. *Bibliothecæ publicæ:* quod & اهتبل غرتنا *Negligentiam* vel *socordiam nostram captavit anhelus*: sive *anhelanter* & *cupido flatu imminuit nostræ securitati.* Ita *Ispahanens.* ونهتبل الغرة ونهجم عليهم هذه الكرة *captavimusque anheli eorum socordiam, atque irruimus in eos istoc impetu.* In *Camuso* extat præterea

Formula abstrusior.

اهتبل هبلك عليك لشانك *Anhela anhelationem tuam* h. e. *curam gere tui status pro temet ipso.* Noli *pro me anhelare.* Minus dextre *Golius* noster, *decet te.* Id genus phrasium in *Glossariis* extra seriem positum, vel a sagacissimis enucleari nequit, nisi ipsa Auctorum loca præ manibus sint. Hoc experti nimium Viri Doctissimi, qui *Hesychium*, *Suidam*, aliosque *Glossatores* ediderunt.

Anhelare altius.

Graviore adhuc usu *altius anhelare* dicuntur *insolentes*, & *feroces*, apud *Amm. Marc.* L. 16: 12. cujus quoque *minaces anhelitus* L. 17: 13. Itemque *funesti furoris & anhelitus plenus* L. 19: 12. Hæc concepta ad illud Poëtæ,

— — *Sed*

— — *Sed pectus anhelum*
Et rabie fera corda tument. *Anhelum pectus.*

Vel & *Ciceronis* hocce 2. *Catil. Tandem aliquando Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ molientem, atque urbi huic ferrum flammamque minitantem, ex urbe ejecimus.* *Anhelare scelus.* &c. &c. Vides calculum bene positum ab iis, quos laudat *Tauriz.* مهبل מהבל reddentibus معتوه الذي لا يتماسك *Vesanum, qui mentis compos non sit.* Vides item jure apud *Gieubarium* a nonnullis τὸ مهبل *turgidus*, vel *præ turgore anhelus*, expositum fuisse ملعون *Maledictus. Satanas.* Huic nempe pro *Epitheto* additum مهبل *turgide inflatus, & anhelans.* Hoc jam deprenditur accipi posse ad omnes illos *affectus*, quos modo indicavi. *Anhelus & turgens mole corporis. Anhelus & turgens* spiritu; & in quo notari possit הבלי هبلي *fastosa arrogantia oris, moris, incessus.* Denique *Anhelus vesania, & furore.* Omnia hæc complexum fuisse Poetam in

— — فنشا غير مهبل ج

Et adolevit minime turgidus,

asseverare ausim: quum series ipsa illuc feratur, *vitia corporis & mentis* ab hoc juvene inde ab utero removens. Verbulum ad *Glossas* formæ הָבַל هَبَّال, quæ apud *Golium* declaratur; *qui faciendo quæstui invigilat*; *qui prædam expetit venator. Insidiator. Machinator.* Ad omnia quadrat

 An-

Anhelator. Sentias ex verſiculo, quem adduxit *Gieuharius* ex *Dſilrummah*

وَمُطْعَمُ ٱلصَّيْدِ هَبَّالٌ لِبُغْيَتِهِ
أَلْفَي أَبَاهُ بِذَاكَ ٱلْكَسْبِ يَكْتَسِبُ ع

Isque alumnus venationis, anhelator ad victum ſuum,
Qui patrem deprenderat iſto ſe quæſtu ſuſtentare.

مهبل uterus Ne quicquam extra *Originem* vagari ſinam, deſinam in מְהֻבַּל مـهـبـل *uterus*, ejusque *orificium*, *meatus* podicis, & alia: is a *ventoſa flatu & turgore* nomen indeptus.

Loca S. Codicis illuſtrantur. Vindicato jam univerſo *Themate*, atque extra aleam dubitationis collocato, jucundos inde fructus carpamus, pro *ſacro Codice*. Adduxeram in notis ad *Hamaſ. Job.* 27: 12. הבל תהבלו *Quare turgorem turgetis? quare meras proflatis vanitates?* Egregie Pſ. 62: 11. *Ne confidatis in oppreſſione, & in rapina ne turgescatis* אל תהבלו: *Opulentia quum continuis vicibus germinarit, ne erigatis cor.* Admirabili granditate *Jer.* 2: 5. *Iviſtis poſt* הבלים *vanitates turgentes* idolorum, ותהבלו atque *ipſi turgore inflati evanuiſtis.* Iterum *Jer.* 23: 16. de falſis Prophetis מהבלים המה אתכם *illi vos turgore multo inflant:* in *omnem ſuperbiam*, *veſaniamque vos impellunt*; *ut meras vanitates anheletis.* Eandem *ventoſam* & *turgidam ſpeciem* nemo jam non ultro amplexetur in titulo הבל הבלים *vanitatis vanitatum*, quo *Salomon pompam* rerum humanarum inſignivit. In *Comment. Prov.* 21: 6. illuſtrem figuram indicavi in הבל נדף *turgido flatu ac vapore*, quem ventus diverberat.

Dignitas verbi longius me extulit; ut & *Dialecto Arabica* ſua ſub eo nativa virtus, temere impetita, aſſereretur;

tur; & *Origo* ejusdem *Hebraica* ſimul reſplenderet. Reliquas cavillatiunculas levi brachio confutabo.

Octava certe tam futilis, ut vix tangi mereatur: quum pag. 696. carpit, me pag. 390. *Hamaſæ* vocabulum جدل *accipiter* derivatum iviſſe a جدل *torſit*, *firmiter nexuit* funem, quaſi *intortior nervis*, *viribusque*. Vide jam capitaliſſimam criſin. „ *Quare autem accipiter ſolus hoc nomen me-* „ *ruit*, *non item leo*, *tigris*, *lupus*, *taurus*, *equus*, *aſinus*, „ *robuſta omnia animalia*? " Quis hominem hunc vel prima *Elementa* attigiſſe judicaret? Certe ne *illiteratiſſimus* quidem *mortalium* tale quid objectare potuiſſet, quacumque tandem in Lingua. *Intortiſſimus nervis*, *viribus*, dictus hic ales,

—— ὃς ὤκιστος πετηνῶν.

Qui velociſſimus volucrium.

Quem & *Hebræi* ab *intenſiſſimo volatu* נץ appellitarunt. Hinc *Niſus* ſecundum quosdam, vel potius a *nitendo*. Eodem jure rogitet, an non & *aſini nitantur*. Quid? quod ἱέραξ & ἴρηξ, item ἱέναι & ἵεσθαι *mitti*, *niti*, nomen traxiſſe veroſimile. *Niſum* alitem duobus præſertim *Epithetis* inſignitum voluere *Arabes* اجدل *intortiſſimi*, i. e. *robuſtiſſimi*; & اكدر *fuscatiſſimi*. Sunt *Epitheta*, quæ longiore uſu ſua *ſubſtantiva* dimiſere. Plena tamen locutio صقر اجدل *Accipiter intortior*, quem qui propius cognoſcere cupit, adire poterit *Boch. Hieroz.* P. II. *pag.* 267–268. ubi complura nomina. Ipſum الصقر *Sacer* vulgo, *Sacre* apud *Gallos*, deſcendit a صقر quod *acutum videre* ſonat, ut ibidem Vir ſummus obſervavit. Rogitare poſſet & hic, cur non potius *Lupus*, *Serpens Epidaurius*,

Octavum cavillamentum, imperitiam nudans.

rius, & alia viſu pollentia. Exortus nobis novus *Arabs*, qui expunctis priſcis nova rebus nomina ponat. Acquieſcamus interim *Scholiaſti Amriolkeiſi* ad *vs.* 36. ubi גדיל الجديل *funem* explicans الزمام *capiſtrum*, ſubdit وهو مشتق من الجدل والجدل ايضا شدة الخلق ومنه قيل للصقر اجدل ومنه المجادلة *Derivatur autem ab intorſione ſub* גדל: *eadem intorſio notat vires & robur indolis; unde Accipitris ſpeciei nomen inditum* אגדל *INTORTIOR. Inde etiam inſin.* III. eſt *colluctatio.* Limam arroſit, miſer, & me lædere conatus, ſuomet ſanguine diffluit. Tale eſt & hoc; ad eandem *Originationem* carpendam. „ *Et unde factum ut in deriva-* „ *tis a verbo* Gadala *non paucis Notio*, *non* contorſionis, „ *ſed* latitudinis *ac* planitiei *obtineat* "? Quid ſibi velit homo, ne ipſe quidem ſcire videtur. Vultne جدل *Gadal* apud *Arabes* non eſſe *intorqueri*, non *adoleſcere intortis nervis*, non *increſcere viribus*, *robore*, *mole*; quæ ex *Origine* dubio vacua adſtruxi in *Lib. de Defect.* a *pag.* 191. ad 201. ad *illuſtrationem Hebræi* גדל? Id quidem fieri plane nequit; quum hæ *notiones* omnem paginam occupent.

Illuſio ridicula. Quid ergo? Ludificatus ſemet, *Orbem Eruditum* etiam naſo circumducere ſuſtinet, arrepta גדלה جدالة *terra*, & quidem ذات رمل رقيق, *quæ ſubtilibus arenis ſit intorta.* Inde *latitudinem* & *planitiem* exſculpſit, ut pulvere oculos *Lectorum* impleret.

Nona inſectatio retunditur. Eandem incredibilem imperitiam, cum fraude conjunctam, nudat etiam *Nona* inſectatio, ubi vexat notulam *pag.* 400. *Hamaſ.* ad *Vſ.* 6.

اذا حاص عينيه كري النوم لم يزل
له كالي من قلب شيحان فاتك ✿

Quum

Quum consuit ei oculos fodicatio somni; haud cessat
Custos ei adesse cordis cautus, & audacissimus.

Describitur Heros tam vigilans, ut *oculi vix somno conniveant*, *eoque* cum maxime *fodicante*, atque ad dormitationem impellente, nunquam tamen profundius sopiri se patiatur. Est jucundissima figuratio, qua *oculos* hominis vigilantissimi *consuere* meditanti somno, tribuitur *fodicatio pungens & vellicans palpebras*, ut se *claudendas praebeant*. Hæc e limpido fluentia sic conturbat p. 696. „ *Medici* „ *contra decernent, a somno* vellicationem, fodicationem, „ irritationem *omnem abesse, negantque duo illa secum con*- „ *sistere posse; potius in dormiente & dormiturienti sen*- „ *sus ajunt omnes ita placari, relaxari, hebetari, & so*- „ *piri, ut vel admotos ille stimulos non sentiat* ". Vide gradus in *Medicina*, quid faciat! Oracula funditat *Lipsiensis Hippocrates!* Præmissus Versiculus cuivis in oculos ingerit *somnum*, qui *gravare* & *opprimere* conetur Eum, cujus *pupula* Ei *connivere* neget. Huic attribuit Poëta ingeniosus تسكي *fodicationem, punctionem, vellicationem, irritationem fodicantem*, qua *oculos* illos *pervigiles* tandem *consuat* atque velut *filo per palpebras* trajecto *adstringat:* ne sic quidem *corde vigilantissimo* unquam tamen *sopiendo*. Eum in finem ibidem mox *Vs.* 7. subnexum

Lumina & Acumina Medica.

Constituitque oculos suos speculatores sui cordis,
Adversus evaginationem mucronis glabrum nitidi, &
scindentis.

Hoc est, *oculi vel paululum connivere coacti, tamen in statione velut parati, speculatores agunt adversus nocturnas insidias necem inferre molientes, neque se a custodia cordis averti patiuntur.* Noster ad hæc tam clara, tam diserta, tam

tam venusta, mure *Alpino* somnolentior كري النوم *fodicationem somni* cum ipso *somno gravissimo* confundit, atque *Medicam* suam *sapientiam* nobis ostentat: quam omnes albis dentibus rideant necesse est. Peritissime etiam vocabulum كري *somnum* convertens: كري النوم *somnum somni* hic nobis propinat. σκάλας ὕπνας. A-

Hebr. כרה luce perfunditur.

pud *Hebræos* idem hoc *Thema* כרה est *fodere*, *fodicare*, *pungendo forare*, κεντεῖν, quod ad *locationem*, *elocationem*, *conductionemque* per κέντημα *metonymice* se præbere cœpit apud *Hebræos* æque ac *Arabes*. Non est ergo quod acutulus iterum rogitet, si كري primitus *fodicare* significat, qui fit ut idem verbum notet jumentum suum *alteri locare*. Hoc tantundem est ac si interrogaret, si κεντεῖν notat *pungere*; qui fit ut *census* sit *æstimatio bonorum*? itemque *censere* valeat *existimare*, *decernere*: nec non *censui censendo prædia*, sint, *pro quibus tributum solvitur*: & alia quæ per *metonymiam* succrevere. Iterum, si *pungere* sit *punctim fodicare*; qua ratione *punctum* sonare possit *suffragium*, & *dispungere* frequentari, pro *rationes examinare*, & *datas acceptasque pecunias inter se conferre*.

Hæc, & alia infinita, nemo docte percipere valet, nisi qui *Rhetorices* principiis imbutus, *flexus troposque* ejus haud perfunctorie imbibit, seque ista in officina probe tingi ac colorari passus fuit. Inde quantum noster semper abhorruerit, & quam in *Latio*, *Græcia*, *Arabia* ipsa, quoad hæc utique, peregrinetur, suo ipse præconio nunc *Orbi Literato* propalavit; omni semet dignitate, atque existimatione publica, exuens.

Decimum exemplum plumbei

Plumbeum hominis ingenium palpare etiam est, ex *Decimo*, quo utitur, *exemplo* mearum *torsionum*, in quibus cuncta undique *luxata* sint & *vacillent*. Præstruit: „ طل „ Talla *præter alia diversissima notat*, humectavit ros ter- „ ram,

„ ram, & homo inultus occubuit". Sic ille de suo ; *hominis* nunc de meo ludet corio. „ *Hæc p.* 417. Hamas. *sic ingenii.* „ *junguntur*; sanguis ejus rorat; *id est*; fluit supra terram „ inultus. *Atqui sanguis illius, a cujus percussore vindicta* „ *sumitur NON MINUS SUPER TERRA FLUIT;* „ *quam ille, cujus Manes ultione non placantur. AMBO* „ *pariter SUO SANGUINE TERRAM IRRORANT. Et* „ *tamen de posteriore solummodo, non item de priore, ver-* „ *bum usurpatur*". Si *notam* meam præstruxisset, intellexissent omnes, quo de agatur; quamque hebes sit Crisis. Ea sic habet ad *Vs.* 1.

لقتيلا دمه ما يطل ✡

Mortuus jacet, *cujus sanguis haud rorat.*

„ *Hoc est*; non fluit super terra inultus. *Ita vetus Poë-* „ *ta apud Gjeuhar.*

دماوهم ليس لهم طالب مطلولة ✡

Sanguines eorum, vindicem haud nacti, rorare coguntur.

„ *Passivam nempe formam hic maluere, unde* Abuzeydus „ *negat recte dici* طل دمه rorat sanguis *forma* activa, „ *sed dicendum* rorare factus est: *at* Abu Obaidus *utrum-* „ *que ex æquo admittit.* Nostrum *exemplum* passivam *ha-* „ *bet* Emphasin, *quam in primis captarunt Elegantiores,* „ *ad majorem rei invidiam*". Nil adjeci, vel illustrandi, vel confirmandi, causa; quod nemo in stylo versatus hic obhærescere possit. Certe *rorans sanguis* hac in *formula*, Rorans non est simpliciter, qui *fluit effusus in terram*, mox *intra* sanguis. eam *subsidens*; sed qui *roris* instar *supra terram eminet*,

L 2 ejus-

ejusque *faciem sanguinea* veluti *nebula longe lateque cooperit.* Cernas vel ex hoc *Virg. Æn.* 8: 644.

Rorare sanguine.

Raptabatque Viri mendacis viscera Tullus,
Per Silvam; & sparsi rorabant sanguine vepres.

Et *Val. Fl.* L. 5: 75.

——— *His Bacchus in undis*
Abluit Eoo rorantes sanguine thyrsos.

Apud *Sil. Ital.* L. 7: 324. extant *spolia cæde rorantia:* & 4: 449. *rorantia Consulis ora.* Hæc *intransitiva* veniunt. *Transitivam* vim exerit L. 10: 263.

Rorare saxa cruore.

Cum videt in scopulo rorantia saxa cruore,
Torvoque obtutu labentem in Tartara Paulum.

In omnibus hisce non simplex *effusio sanguinis* attenditur, qui mox *terra haustus non compareat*; sed oculis subjicitur *sanguis roris instar supra terram vibrans*, *oculos feriens*, & *diritate cædis conterrens.* Elucet ansa opportunissima illustris *figurationis*, per quam *rorans sanguis*, vel potius *roratus*, ad usum illum *passivum*, quem & *Latini* admisere, frequentari cœperit pro *sanguine inulto*; qui *clamet ad Cœlum*, & *vindictam deposcat a cognatis.* Ad tantum splendorem Orationis oculos attollere non valens homo noster, solem ipsum vituperat, & rodit, quod captum ejus transscendit; ita cavillans: „ *atqui sanguis illius*, *a* „ *cujus percussore vindicta sumitur*, *non minus FLUIT* „ *SUPER TERRA*, *quam ille*, *cujus Manes ultione non* „ *placantur &c.* ". Insubidum, & imperitum, supra omnem fidem. *Sanguis illius*, *a cujus percussore vindicta su-*

ſumitur; non concipitur, *Arabum* ſtylo, *fluere ſuper terra*, vel *rorare*; inſtar *roris jacêre*, *apparere*, *eminere*, *vibrare ſuper facie terræ*; ſed contra, *Manibus percuſſi talione placatis* cenſetur ſanguis iſte *placida quiete compoſtus*; quin *honorifice conditus* atque *ſepultus*. Gentis *Arabicæ* Genium nemo non hac in Locutione recognoſcit; ut parum in *Antiquis* Ejus *moribus* tritum ac ſubactum eſſe oporteat Eum, qui hoc non primo oculi ictu animum advertit. In *Diw. Hud. Abulmothellem*, Adverſario ſtragem a ſe editam inter tribules ejus obprobranti, ita reſpondet.

Formula Rorat ſanguis *vindicatur.*

يا صخر ويحك لما عيرتني نفرا
كانوا غداة صباح صادق قتلوا ۞
يا صخر ثم سعى اخوانهم بهم
سعيا نجيحا فما طلوا وما خملوا ۞

O Tzachre! Væ tibi! quid exprobraſti mihi turbam,
Quæ mane incurſu ſtrenuo in nos facto occubuerint.
O Tzachre! mox utique Fratres eorum ſuſcepere ob eos
Expeditionem felicem; ſic ut nec rorare ſiti ſint, nec
connivendo vileſcere.

Illud *non rorare ſiti*, omiſſo *ſanguine*, valet, *non fluxit cruor eorum roris inſtar ſuper terra*, ac *ſi neminem haberent ultorem*: ſed brevi *intra Terræ gremium receptus*, *fuſus* ille *ſanguis* acquievit; Manibus eorundem per vindictam a nobis ſumtam placatis. Similiter *Harith Ibn Helza* in *Moallek. Vſ.* 57.

ما اصابوا من تغلبي فمطلول
عليه ان اصيب العفاء ۞

 Quod

Quod percussum fuit de Teglebitis, sane rorans relictum:
His quippe percussis, obliteratur ultio.

Hoc est, *Teglebitis quidem occisis, nulla metuenda Talio est; finitur enim eorum sanguis rorare, ab iis ipsis, quibus vindicta incumbit.* In *Hamasa* extat

اعين لابن مية ام ضمار ☸

Eritne præsens solutio pro Ibn Maija, an in longum protrahetur hoc debitum?

Allegoria gravis in hac ipsa materia, quam ita exponit *Tauriz:* اتدركون ثاره ام يطل دمه *Num mox vindictam sumetis de eo, an vero rorare sinetur sanguis ejus?* Agmen claudat *Harir.* jucundum *Arabicæ* Eloquentiæ lumen prægressis adjecturus *Conf.* 22. لكان نظام المعاملات محلولا وجرح الظلامات مطلولا *Sane nexa jurisdictionum sphærula dissolveretur, & vulnus iniquitatum rorare sineretur.* Hoc est, *nulla ultione vindicaretur, ac persanaretur.*

Illustria S. Codicis loca hinc enucleantur. Sic revicta satis, & castigata *Recensoris Lipsiensis* obtusa pectora, quæ ad excellentissima *decora* & pondera *Dialecti Arabicæ* sese nunquam elevare valuerunt. Quibus ingenua, & erectior indoles, non solum *formulam* solemnem & perantiquam, a *Vindice sanguinis* subnatam, admirabuntur: verum etiam ultro agnoscent, magnam hinc lucem ad loca S. *Codicis* redundare, in quibus affine *Schema* residet. *Jobi* 16: 18. grande *Pathos* conceptum, quo atrocissimas injurias sibi illatas vindicari postulans, ita

Job. 16:18. exclamat ארץ אל תכסי דמי *O Terra! ne cooperias sanguinem meum.* &c. Sensus est. *Noli recipere in sinum tuum, noli cooperire vim, oppressionem, cædem quasi, qua inter manus*

vio-

violentas occumbere cogor; *dum mihi meam innocentiam*, *virtutem*, *Religionem*, *ereptum eunt superbissimis criminationibus.* דמי non est, *quem ego fudi*, sed quem ego sub *ictibus* mihi *impressis fundere* cogor, dum mihi *vitalia hauriunt*, qui mala mea sublevare deberent. Hoc in *Comment.* adstructum. Vulgo refertur ad *sanguinem* ab ipso *Jobo fusum*; quasi amoliretur a se *occulta latrocinia* & *cædes*; quas Amici importuni ei impegerant. Ad meum scopum nihil omnino interest, hoccine, an illud, quis malit: nam manet immotum, quod præ manibus, *Terram*, celsa *figuratione*, dici *cooperire sanguinem*, quum scelus admissum velat quasi, & contegit: quum non *clamare* patitur *innocentem cruorem*: quumque *vindicem* & *ultorem* non *deposcit* una cum illo; injustæ cædi veluti tacitum præbens patrocinium. Belgæ nostri tale quid ad *Jobum* perdocte annotarunt; adductis locis eodem tendentibus *Gen.* 4: 10. 11. *Jesaj.* 26: 21. *Ezech.* 24: 7. 8. neque quemquam fere *interpretum* magnificum hocce *schema* fugere potuit. Non tamen repperi quemquam, qui propiorem ansam hujus *Locutionis* indicaret. Eam porrigere mihi videtur signatissima nostra phrasis *sanguinis rorantis*, in *publico conspectu* videlicet, atque a *Deo*, *hominibusque*, *alta voce vindictam flagitantis.* Hoc vivis coloribus repræsentavit *Ezech.* 24: 7. 8. *Nam ecce sanguis ejus*, ab ea fusus, in *meditullio Ejus extitit*; *SUPER PETRA NITIDISSIMA posuit*, publice proposuit, *eum*; *non effudit eum in terram*, *super eo pulverem* saltem *injiciendo*, *ad operiendum. Ut adscendere faceret æstum iræ*, *ad gravem ultionem exercendum.* &c. &c. Depingitur profligatissima audacia Procerum *Hierosolymitanorum*, totiusque adeo *Civitatis*, qua *sanguinem innocentem* sub oculis ipsius Dei effundebant, eumque *velut super petra nitidissima deponebant*; ut ibi *roraret*, ut ibi *in publico prostaret*, ut ibi *vindictam*, quantum vellet, *a Deo hominibusque inclamaret*: absque ut ulla illius *ultionis* cura

Ezech. 24: 7. 8.

cura tangerentur, sed tanto magis adversus *Prophetas* sævirent, quanto graviores ipsis plagæ per eos denunciarentur. Nempe دم مطلول *sanguis rorare factus*, est *sine ullo metu ultionis profusus:* quem *quis conspici gaudet*; & *de quo* veluti *gloriatur* ac *triumphat:* quales fere sunt *cædes violentæ* eorum, qui *elata manu grassantur*, & omnem respectum Dei hominumque ejurarunt. Hoc jam mirifice exaggeratum per exquisitam illam figuram *ponendi sanguinem super petra nitidissima*, quæ *rorationem* istam *vibrantem* immensa quadam accessione cumulet. Contra *pulverem isti sanguini inspergere*, est, ei aliquid saltem prætexere, si non ad rem ipsam, saltem ad turpitudinem rei velandam; aut eam oculis & conscientiis aliorum subtra-
Jesaj. hendam. Celsum hocce *schema* paulo aliter locatum *Jesaj.*
26. 21. 26: 21. *Et revelabit terra sanguines suos*; & *non amplius operimentum præstabit super obtruncatis suis:* hoc est; *terra quæ adhuc sanguinem innocuum in sinum suum videbatur recepisse, eundem faciet rebullire, & palam rorare, præsentissimam* Numinis *ultionem* efflagitans. Prima sedes omnium
Gen. 4. *Gen.* 4: 9. 10. ubi duplex adspectus sese offert, alter *San-*
9. 10. *guinis clamitantis*, atque *vindictam deposcentis*: alter *Terræ*, istum tamen *sanguinem* ad tempus *receptantis*, ac *sinu suo recondentis*; quo minus præsentissima ultio ingruat. Huic *Tragicæ scenæ* respondet illa *Æsch.* in *Eumen.* 167.

Æschyli locus huc pertinens.

Πάρεστι γᾶς ὀμφαλὸν
Προσδρακεῖν, αἱμάτων
Βλοσυρὸν αἰρόμενον ἄγος ἔχειν.

Licet terræ Umbilicum
Adspicere, sanguinis profusi
Tetrum nefas ultro receptantem.

In-

Invehitur *chorus* in ſacram ſedem Dei *Delphici*, quod *Oreſtem*, Matris *ſanguine ſtillantem* quaſi *a Capite ad calcem*, admiſerit, Eique patrocinium & tutelam præſtet; quem potius expellere, & tanquam evomere deberet, eum Furiis ſuis rapiendum & vexandum remittens.

Exarmavi hominem, & arma ante pedes præfregi, ipſa illa ſpecimina, quibus me impetebat, in ipſum retorquens; ne communi quidem ſenſu eum pollere coarguens, qui acumini ſuo præfidit, ſeque Aquilino viſu præditum autumar.

Hoc in omnium oculos incurriſſet, ſi *notas* meas non contruncaſſet: nunc in tenebris graſſatus, manifeſtæ Luci nebulas offundens, tanto fœdiorem cladem ſubit, quanto turpiorem triumphum affectabat.

Formidoloſum autem, quod inſtruxerat agmen claudit *Ulti-*
vocabulum احوي *niger*, proprie *convolutior*, vel *convolu-* *mus co-*
tiſſimus color: a *Themate* حوي *convolvit*, *conglobavit:* ut *Ha-* *natus* *per-*
maſ. p. 427. annotavi. Res dubio exemta. Anſam com- *quam*
modiſſimam dedit غثاء احوي *herba arida convolutior*; i. *ridicu-* *lus.*
e. *nigrescens*. quæ phraſis pertrita veteribus, occurrit etiam *Alcor. Sur.* 87: 5. والذي اخرج المرعي فجعله غثاء احوي *Per Eum qui produxit pabulum, idque mox demutat in fœnum convolutius.* Horum omnium cum ignariſſimis juxta gnarus noſter, ſic acutiſſime definit; „ At *Quomodo ex idea* convolutionis *idea* nigri *magis ſuccre-* „ *vit*, *quam idea* rubri *aut* albi"? Oculos ſibimet eruiſſe debuit, & ne colores quidem internoſſe intelligitur, qui
ſic rogat. Et tamen poſt tam cæcam, tam omni ſenſu *Stolidæ*
humano deſtitutam impugnationem *Originum* mearum, o- *glorio-*
vat veluti, & Epinicium ſibimet accinit: ſic pag. 697. mag- *læ.*
nifice ſe inferens: „ *Sed nimii ne ſimus in convellendis ſatis* „ *jam per ſe RUINOSIS, & ad tædium ſubtilibus, accinagamur*

„ *potius ad opus utilius & majoris momenti* ". Nil faſtoſius inaniusque. Adeo nil convulſit, ut immota perſtent omnia. Semet haud dubie convulſit, miſer, ſemet funditus deſtruxit; atque perpetuis ſemet ruinis ſepelivit.

Inverecunda oſtentatio & jactantia. Tanquam victor interim & triumphator Magnificentiſſimam illam *periodum* ſubtexit, p. 697. quam *Exordium* hujus *Epiſtolæ* oculis *Lectorum* ſubjecit. Quanta ibi complicatio regnet criminum ſimul, ſimul vitiorum, paucis ibidem perſtrictum. Nunc videamus quid tandem *promiſſor* hicce *tanto biatu dignum* ſit daturus.

Parturiunt montes, naſcetur Ridiculus Mus.

Rideo ſane; quum hominem meum in aciem educere cerno. Nunquam quisquam tantam tubam inflavit; tantam molem Belli cuncta obtrituri denunciavit „ *ACCINGAMUR potius ad opus utilius, & majoris momenti* ". Summa agetur Reſpublica, ſcilicet! Non *Origines* jam profligabuntur, ſed „ *recens edita Carmina, ad criticum Examen revocabuntur* ". Mars clypeum quatit, & flagellum intentat. „ *Nulla malevolentia, nulla Ambitio*, modeſtiſſimi hominis *pectus ſtimulat* ". Honeſtius id, quam ut ulla *æragine*, ulla *vanitate*, tangi queat. Splendidi quoque Tituli piis Armis præſcribuntur. „ *GRATIA PHILARABUM. AMOR COMMUNIS BONI. STUDIUM AUGENDÆ REI LITERARIÆ* ". Poteſtne quicquam vel ad præſentem laudem excellentius, vel ad immortalitatem poſt Fata glorioſius? Non temere etiam huic Arenæ ſe committit, qui *vires ſuas* bene noſcens, „ *SE ALIIS APTIOREM HUIC OPERI eſſe* perſentiſcit". Haud mirum. „ *ADMINICULIS GAUDET, quæ paucis in promtu* ". Ingentes Theſauros *Eruditionis Arabicæ* ſibi in domo *Schultenſiana* conſtipavit. Nutricia proinde gratus

tus perſolvit; quum ſubdidit: „ *& quorum adminiculorum* „ armorumque, quæ jam in me deſtringet, *Copiam Ei* „ *ipſe* Schultenſius *olim fecit* ".

Quis jam non expectet turbinem bellicum in caput *Schultenſii* erupturum, qui ipſum cum ſua ſibi *Anthologia veterum Poëtarum* proſternat, ut opima ſpolia ex Eo legat, & asportet, tantus ille *Bombomachides*. Atqui in *ventos* & *bombos* omnia mox abibunt; atque univerſa hæcce oſtentatio, ut *crepitus ſpinarum ſub olla*, multum inter fumum expirare uno momento reperietur.

Certe nihil levius, nihil futilius omnibus illis, quibus aciem tam formidoloſam, ut autumabat, inſtruxit. Meræ ſunt ſtipulæ, quas vel minimus inter *philarabas* deflaverit. In omnibus, quamvis de ferocia nonnihil ſit remiſſum, confidentia relucet incredibilis. Hanc contundi *Literariæ rei* intereſt.

Affectatio profundioris peritiæ.

Circumdat ſibi ſub initio novæ hujus aggreſſionis nescio quam ſpeciem iterum *profundioris* cujusdam Eruditionis; de *Commentatoribus Hamaſæ*, *Merzoukio* & *Taurizio* judicium ſuum interponens iis verbis, quæ fruſtrandis tantum *Lectoribus* ſint; atque ad rem nil plane faciant. Ego in *præfat.* verbulo dixeram, „ me *tribus Codicibus uſum*. Tauriziano *nitidiſſimo*, *cum luculento inſignis illius Philologi* „ *commentario*. *Altero* Marzoukii; *cujus plenior adhuc*, *ſed* „ *ſpinoſior ſit commentatio*. *Tertio ſplendide item exarato*, „ *ſolaque carmina complexo*, *qui hic illic varias Lectiones* „ *obtulerit* ". Me *Taurizii* veſtigiis inſiſtere ipſemet agnoscens, nescio quid tamen muginatur de meliore nunc ordine *Merzoukii*, penes quem *ultimus* meus *vſ. Secundum* numerum obtineat, qui *tertium* trahat comitem huncce:

يحسبون نيرانهم حتى اذا خمدت
شبوا لموقد نار العرب نيرانا ع

 Eum

Eum ita, ſuo more, convertit.

Qui totas per noctes vivum alunt hoſpitalitatis focum;
eo autem verſus auroram emortuo,
Flammam aliam accendunt ſuper foco belli.

(*Summo mane more Arabum in hoſtem excurrentes*).

Ad ipſum *limen* impegiſſe, ominoſum. *Merzoukius* non tam ineptus, ut ineptiſſimum filum contexeret: quod ſtatim ab exordio ſemet rumperet. Citat ille in *Comment.* ad *vſ.* 1. pro adſtruenda ſententia, quam illuſtrare volebat, *tres verſiculos* noſtri carminis, quod, ut reliqua fere hujus *Florilegii*, multo longius excucurrit. *Primo* loco, *ſextum* noſtrum; *ſecundo* autem, *octavum*; *tertio* denique *illum* modo poſitum; non ut nexum oſtenderet *verſiculorum*; ſed ut aliquid ex illa collatione, pro ſua explanatione eliceret. Ultimus hicce a collectore *Florilegii* non fuerat excerptus. Horum nihil percipiens Noſter, interpolavit omnia, ac commiſcuit; ut qui aliquid ſentit, ultro percipiet in hisce ita male confuſis

Immanis perturbatio verſuum.

Si fuiſſem de gente Mazeni, non ſane abegiſſent camelos meos terræ filii.
Utinam ergo inter eos mihi familia eſſet qui ubi vehuntur, acrem faciunt impreſſionem, ſive equos ſedeant, ſive camelos.
Qui totas quidem per noctes vivum alunt hoſpitalitatis focum &c.

Luxata & convulſa omnia. *Lingua* in vocabulo فليت *Quod utinam*, non niſi *illative* uſurpando, violata. Advertere hominem debuiſſet utique, quod *Merzoukius* hunc ipſum *vſ.* adducturus, dicat ومما يشهد للطريقة التي سلكناها ونويدها ان في جملة الابيات التي وصف قومه فيها يحبون

يحيون نيرانهم حتي اذا خمدت
شبوا لموقد نار الحرب نيرانا ع

Atteſtatur de via interpretationis, quam ingreſſi ſumus, quamque firmavimus jam, quod in ſumma verſiculorum, quibus gentem ſuam laudat, extet quoque,

> *Vivos alunt ignes ſuos, usque dum, illis reſtinctis,*
> *Accendant ſuſcitanti focum ignis bellici ignes alios.*

Ad verbum expreſſi, quod noſter luxurioſius, more *Paraphraſtico.* Duplex ab eodem commiſſus error; uterque capitalis. *Primus*, quod لموقد dederit *ſuper foco*, quaſi foret *ſubſtant.* quum ſit *part.* IV. quod & *præpoſ.* *Lam*, & vis ſententiæ, docere potuiſſent. *Alter*, quod *excurſum* hic concipiat factum in hoſtem, ad primum mane; quum *Lares ab hoſtili incurſu defenſi quam ſtrenuiſſime* pingantur.

Duo graves errores uno in verſu admiſſi.

Hic eſt feroculus ille, qui læte ſuccreſcenti in *Litteratura Orientali* indoli præſtantium Juvenum invidens, latrocinium ferme publicum in *Actis* Eruditorum *Lipſienſibus* exercere cœpit: A°. MDCCXLVII. menſibus *Sept.* & *Decemb.* eos, quos longe longeque ætate antecedebat, ob juvenilia quædam ſphalmata, quæ abeſſe non poterant, vexans, & lacerans quaſi, quum ipſe multo graviora & commiſiſſet jam ante, & commiſerit in putidisſima illa Verſione Carminis *Caabi*, qua tot paginas in *Actis Lipſienſibus* commaculavit: & ſtrenue commiſſurus ſit haud dubie, quoad vivet, niſi ab inſano & præcipiti curſu, cui ſe permiſit, ad modeſtiorem honeſtioremque, ſi pote, mentem ſeſe refrenarit. Sed illuc redeamus: atque poſt prælusionem, quam formidoloſus incumbat, videamus:

Luxurioſa & petulans verſio Carminis CAABI, Actis Lipſ. inſerta.

Prima cavillatio refutatur. mus: *pag.* 698. باقي المذمة (sic sancit *Grammatica*) quod ego *reliquum vituperium* converti p. 314. ipse mavult: „ *æternum*, *constans*, & *adhærescens*; *infamia*, „ *macula non eluenda* ". Verum est *part. præs.* Verbi بقي, etiam *manens* & *perpetuum* signare; nec vel *Elementarium* hoc fugiat, qui apud *Golium* deprendit بقي *manere*, *continuare*, *perpetuum esse*, exponi. Nemo tamen, nisi *præposterus*, id hic amplexetur. Mens *Poëtæ* hæc est; *se injuriam sibi illatam vindicando*, & *per gladium eluendo*, *tutum fore a reliqua injuria.* Substitue ibi, ab *injuria æterna*, *constante*, *adhærescente*; *cujus infamia* & *macula non eluatur:* & meram habebis *farraginem* loquendi.

Altera item. De *tertio* ibidem *Vs.* mox subnectitur: „ *Interpretatio* „ τῷ λέξιν *hæc fuerat.* Modo redeat dextra mea cum as- „ secutione ejus, quod quærebam: *id est*, *dummodo vo-* „ *tis damnatus*, & *ultionem consecutus*, & *victor*, *ab hos-* „ *tibus abeam* ".

Ad Grandes & animosissimos horum Poëtarum sensus haud assurgere valet. Hoc dicit *Vindictæ cupidine ardens* Mazinita, *se haud curare opes avitas*, *dummodo dextra se applicet ultioni assequendæ:* i. e. *se omnes suas fortunas impendere paratum*, *ad ultionem persequendam*, &c. Præ hoc alterum illud languet, atque adeo torpet. انثنت يميني *inflectatur dextra mea*, hic non est *redeat victrix*; sed *ipsi ultioni cum maxime instet*, atque *incumbat*. Hoc obversatum quoque *Merzoukio* inspectus *Commentarius* docebit.

Tertia. Iterum *Vs.* 5. ejusdem Carminis, ubi *Taurizianus* Codex suggerebat اخي غمرات *Fratris gurgitum*; i. e. *cui pericula veluti cognata*, *domestica*, *familiaria*, ait, *rectius* & *toti sermoni aptius esse*, quod *Merzoukius* dedit, اخي عزمات, *Frater* (i. e. homo) *constantis* & *con-* tu-

tumacis consilii, *qui rebus in arduis*, *quas molitur*, *consiliorum operæque socium patitur neminem; sed omnia suo ex capite peragit.* Non stuli potens, qui *Fratrem*, meliora licet monitus, *Hominem* simpliciter exposuit; quum sit ut dixi *cognatus*, *affinis*, &c. Facile patimur, Nostrum illo sui simillimo Fratre gaudere; sed quum ipse *Merzouk.* adjecerit ويبروي اخي عمرات *Legitur quoque*, *Fratri gurgitum*, idque *Taurizius* prætulerit; par haud erat, ut illinc resilirem. Hac quidem ratione alia bene multa colligere, atque in *cornibus* constituere oppugnationis suæ, ei licebit.

Ipsam *aciem* constituere voluit p. 699. verbum فرشت *Faraschto*, *Vs.* 7. Carminis *Taabbetæ*, quod unum omnium animosissimum p. 370.

Magnifica Phrasis, *quarto*, *fœdum in modum commaculata.*

فرشت لها صدري ——

Expandi ad illud pectus meum.

Nota sic habet. „ *Duplex potentia*, propria & impro- „ pria. *Nempe* expandere pectus *ad magna ausa*, *est* ea „ magnanimiter aggredi: *ut* contrahere pectus *est*, ea „ refugere *ac* reformidare. *Ad* arduum *hocce* molimen „ *etiam* pectus suum expandit *noster Heros*, *quum* illud „ *utre vacuo substrictum* petræ *glaberrimæ* commisit; *ut eo* „ *subnixus*, *lubrico lapsu se de Ea demitteret. Posterius u-* „ *nice attendens* Tauriz. *prius plane præter vidit*, *quod ta-* „ *men vel maxime intentum. Quin si alterutrum missum fa-* „ *cere deberem*, *posterius dimitterem; quum id per sequentia* „ *satis exprimatur* ". Historia inauditi facinoris hæc est. Solebat *Taabbeta Sjerran*, Heroica virtute nobilitatus, frequentare petram quandam præruptam, unde mel colligeret: „ Ibi circumcluso ab hostibus, duæ latæ sunt con- „ ditiones, ut vel dederet sese, vel semet præcipitem

„ da-

„ daret. Tum ille mel, quod in utrem collegerat, ſuper „ Petram effundere, utremque pectori ſuo circumligare; „ quo communitus ſeſe Petræ commiſit, atque mira in„ duſtria ſimul, ſimul audacia, per præcipitium ab hos„ tibus averſum in terram defluxit; trium dierum inter„ ſtitio ab iisdem disjunctus ".

Expandere *pectus.* Hanc immortalem Palmam ipſe hoc *Carmine* celebrans, inter alia canit,

> *Expandi ad illud pectus meum, & lubricavit*, i. e. *defluxit, de Petra nitidiſſima.*

Ibi etiam a *Mezrouk.* quem cum maxime inſpicio, annotatum الفرش البسط ثم توسعوا فيه فقالوا فرشته امري وافترش لسانه تكلم كيف شاء *Verbum* פרש *notat expanſionem. Latiore inde uſu dicunt, Expandi, ipſi negotium meum, nec non in VIII.* התפרש לשונה *expanſa fuit lingua ejus; pro, diſſeruit quam liberrime.* Verbum بسط, per quod noſtram فرش declaravit, cum *expanſione frontis, pectoris;* complectitur quoque *lætam exporrectionem* utriusque, qua quid *promtiſſime* vel *recipitur*, vel *ſuſcipitur.* Habes illud *magnanimum*, quod hinc abeſſe non poſſe cenſueram.

Miſera illuſio. Hæc quum Luce ſint liquidiora, Ejus perduellis tamen, neſcio qua vertigine rotatus, inde reſiluit, atque p. *699.* hæc appoſuit. „ *In verbo* فرشت *non recte ap*„ *poſitæ vocales. Vir Cel. accepit pro* 1. *perſ. ſing. a* fara„ ſcha, *ideoque Phtongiſavit* faraſchto, *& ſecundum hanc* „ *opinionem conformavit ſuam interpretationem* ". Quis hinc non colligat, me aliquid in hiſce temeraſſe? quum ipſe omnia ſusque deque conturbatum eat. „ *Sed ſen*„ *ſus*

„ *ſus monſtrat, illud verbum huc non quadrare; & ſtructura monet illud* ف *radicale non eſſe, ſed eſſe illativum* „ Ergo. *Debebat itaque Phtongiſari* fareſchto, *cum* Kesra „ *ad ſecundam, a* راش raſcha, *quod proprie ſignificat* alare, plumis inſtruere; *& primario de* ſagitta *dicitur:* „ *deinde per translationem quoque notat* aptare, concinnare, „ comparare, inſtruere, firmare. &c. *Utrumque, notio* „ *tam propria, quam translata, præſenti loco congruit. Posteriore quidem modo ſi ſumatur, dicet Poëta:* Ego itaque „ exequendo huic conſilio adaptabam & accingabam pe„ ctus meum. *Priore autem modo ſi accipiatur, emerget* „ *hic ſenſus:* Ego itaque alabam (*alis inſtruebam*), meum „ pectus, ut, *tanquam alata ſagitta, vel avis*, per lubri„ cum ſaxum deflueret ". Ne Temeritas quidem ipſa ulterius ſeſe evehere queat. Suus hominem ventus velut alis illligatum ultra ſpatia imaginaria abripuit. Nullus hoc in *verſu* locus verbo راش, apud eos qui *ſana* ab *inſanis* discernere valent. *Expandere pectus*, eſt grave, grande, magnanimo Viro dignum. *Alare pectus*, tam putidum, tam monſtroſum eſt, ſive *proprie*, ſive *translate* applicetur, ut nemini mortalium, niſi Noſtro, in mentem venire unquam potuiſſet.

Portentoſa vanitas revincitur.

Quicquid attigeris in gemino illo ſenſu, ulcus erit. *Taabbeta Sjerran*, ut ex *Hiſtoria* jam patuit, *utre mellario ſubſtrinxerat pectus; glabræ petræ committendum*, ut per illam, quantum pote, molliter, ſine læſione ſaltem, delaberetur. Si tam parum ſanus ille, ut hoc vocaret, *alare*, vel *alis inſtruere, pectus*, ejus carmina immortalitatem haud meruiſſent apud *Arabes*. Hoc de *proprio: improprium* adſpectum, *alis inſtruere pectus* (utre circumligato ſcilicet) *ut tanquam avis*, vel *alata ſagitta per lubricum ſaxum deflueret*, quadrat;

Geminum ulcus interpretationis.

N *Spe-*

Spectatum admissi, risum teneatis Amici.

Non *Avem*, non *alatam sagittam* se facere affectabat noster Heros, *lente* & *leniter*, quantum pote, descendens per *petram melle* ab ipso *delibutam*, ut supra visum; quique mox subnexuit, *pectus* nulla læsione per eam fuisse affectum.

Vera indoles verbi.

Quid? quod verbum راش proprie non sit *alis instruere*, sed *plumis ornare*, *plumare*. Inde eleganter *Haririus* *Conf.* 29. ان تصاهر من ياسوا جراحك ويريش جناحك *Ut affinitatem ineas cum eo qui medeatur vulneribus*, *quique plumis instruat tuam alam*. Iterum *Conf.* 41. ورش جناح الحر من كان حصه زمانه *& plumis instrue alam ingenui cui eam implumem reddidit calamitas.* Apud *Golium* saltem observare potuisset ex *Gjeub*. sub ريش, *plumam* vel *pennam*; indeque per totidem figurationes, *vestem splendidam*; pecul. *pictam* & *ornatam*; quæ & *plumata* apud *Latinos*. Iterum *victum*, *commoda vitæ*; *ubertatem* & *abundantiam annonæ*; *opulentiam*. Hinc الرايش *Plumator*, *plumis instruens* appellitatus Rex *Jemanensis*, qui gentem suam convectis undique spoliis ditarat. Sic jam convertat licet

Ludibrium imaginationis.

Ego vero plumavi pectus meum —— ——

atque nova sibi ludibria ad illud colorandum confingat. Hoccine jam est mea errata denudare, quæ vel *ignorantia Linguæ*, vel *imprudentia* etiam forte, admittere potuissem, an vero *Arabum Poëtis* superbe illudere; eorumque masculam Eloquentiam, ad proprii ingenii intemperantiam detorquere?

Ad

Ad fequentem *Vf.* etiam obhæfit hominis ftupor; ibi- *Quin-*
dem p. 699. fubdens: „ *Verfus octavi initium recte per- tum ca-*
„ *ceptum, & exhibitum non fuit. Senfus eft:* adeoque *villa-*
„ attingebat (perveniebat ad) planam mollemque ter- *mentum confu-*
„ ram ". Omnia mea fupprimit, folens; atque Sacram *tatur.*
fcandens Cortinam, Oracula edit. Videamus: verba
Poetæ fic habent

فخالط سهل الارض لم يكدح الصفا
به كدحة والموت خزيان ينظر ۞

Hæc ita reddidi,

Et immifcuit fe velut molli terreno, non laniante petra
Laniationem, Morsque id attonita infpectabat.

Ad ea fubnotavi. „ *Eadem animofitate continuatum* فخالط
„ & comperit, *vel* expertum eft, *illud* pectus meum ex-
„ panfum tanto molimini, *non* duritiem afperrimam pe-
„ træ nitidæ, fed سهل الارض mollitiem planam
„ terræ. *Hoc vult. Effecit fortitudo invicta* pectoris inter-
„ ni; *ut afperrima petra mihi evaderet terrenum molle*, &c.
„ &c. *Exquifite pofitum* خالط *præt.* III. a خلط
„ *mifcuit. Inde Pohel*, immifcuit fe rebus, commercium
„ habuit, Expertus fuit. &c. &c. "

Hanc effe genuinam Poëtæ mentem, omnia arguunt. Quod nofter fubftituit, nec vim habet, nec dignitatem ullam. Putidiffimum fane fuiffet, tantopere exaggeraffe *Pectus torto robore, & Lumbum gracilitate fubftrictum*, ut nihil aliud diceretur, quam illud *pectus ad terram perveniffe;* vel *terram attigiffe.* Aft, tale *pectus meum rem habuit cum petra duriffima*, cum ea veluti colluctans, *neque laniationem* ab ea *ullam paffum eft*; hoc vero celfo Poë-

tæ noſtri cothurno ita reſpondet, ut mera ſit fatuitas, inde reſilire. Obſervanda quoque *Emphaſis præpoſ.* ف in noſtro فخالط *& immiſcuit ſe;* reſonans ad præmiſſum فرشت صدري *Expandi pectus meum & ita immiſcuit ſe;* per *illationem* fortiorem quam ille infeliciſſime ad *Vſ.* præced. captabat.

Sextum nugamentum. Nugatoria porro, ut quæ maxime, cavillatio hæcce ad *pag.* 419. *Hamaſ.* ubi Verſiculus 3. ita habet

ووراء الثار مني ابن اخت

Et poſt me talioni imminet ſororis filius ——

Id nemo, *Latine* intelligens, aliter interpretetur, quam *ſororis filius talionem a me flagitat, mibi velut inſtans, imminensque a tergo.* Hoc carpens tamen; ſubdit, „ *ad* „ *verbum ſi vertas, reddendum,* Eſt retro talionem a me „ ſororis filius; i. e. *retro talionem a me expectandam, ſeu* „ *meam.* Dicunt Arabes, aliquem retro, vel ultra, rem „ aliquam eſſe, quam flagitat, & cupit nondum nactus. „ *Senſus itaque eſt.* Sororis meæ filius flagitat a me, cu- „ pitque, ut ſanguinem ejus ulciſcar ". En ipſum illud quod *Latinius*, haud dubie, expreſſi. *Iſtud retro talionem a me*, ad ejus quidem argutiolam, *fruſtrationem* potius denotaret, quam *præſtationem* illius *officii.* Particula وراء *poſt*, وراء من *a parte poſtica*, ſæpe infert, quod dederam, *imminere a tergo*, & *inſtare ad opem ferendam.* Ita *Harir. Conſ.* 6. *Qui ſpem in te repoſuit*, eſt *ſenex umbræ aſſimilis, cui nihil rei relictum* ووراءه ضفف مسهم شظف *& poſt eum multa familia, quam miſera ſtringit vita*, id eſt, *inſtant* ei, & *imminent*, qui *victum* ab ipſo *efflagitant.* Hoc meo ſenſui ſuccinit. Ad mentem ca-

cavillatoris hic foret conſpectus, *Retro talionem a me* adhuc *manet — eamque a me, tanquam a malo debitore efflagitat.* O Commentatorem Capitalem! qui *Operam* ſuam *Univerſæ Europæ* obtulit, ad *Arabicos* ei *Theſauros* recludendos, & *Bibliopolis* ubique Regionum, Orarumque, vexillum erexit, ſub quo mereantur, & ditescant.

Ruere pergit, ad *pag.* 423. ubi Poëta ſublimis dabat *Septima Ludificatio.*

Nuncius nos feriit atrox gravis adeo,
Ut conteratur eó vel ſaxum graviſſimum.

حتي دق فيه الاجل ؏

Tanta *pondera*, tanta ſententiarum *lumina*, haud capiens noſter, pro imperio ſubſtituit, *adeo ut ingens quæque calamitas præ ea minuta videatur.* Eſt minuto ingenio dignum. دق فيه *conteratur in eo*, nil aliud admittere poteſt quam, *ſub ejus mali mole conteratur* vel اجل *voluminoſiſſimum*, ſive *graviſſimum ſaxum.* Eo figuratur *Robuſtiſſimum* quodque & *ærumnis perpetiendis validiſſimum pectus.* Inſtar omnium ſit nobis *Ibn Doreid*, cui nimium a me laudis attributum eſſe, alicubi indignatus fuit. Eſt celſus, idemque caſtigatus, ad Antiquorum culmen adſpirans. Ejus, in Exordio Poëmatis, quo Calamitates a ſe exantlatas depingit, eſt hoc multo cumulatiſſimum,

لو لابس الصخر الاصم بعض ما
يلقاه قلبي فض اصلاد الصفا ؏

Si obiret petra ſolidiſſima vel particulam eorum,
Quæ cor meum ſubit, diſſultarent Petræ partes duriſſimæ.

 Om-

Omnes *Poëtæ* his *imaginibus* referti. Noſter ſe nec *proſæ*, nec *vorſæ*, ſatis potentem arguit, tum, quum in utraque ſe potentiſſimum orbi Erudito cum maxime oſtentat.

Octava argutiola nudatur. Ibid. *pag.* 425. *vſ.* 9. ardelionem agit. Verſiculus ſic habet:

ظاعن بالحزم حتي اذا ما حل
حل الحزم حيث يحل ع

Pergens firmo pectore, usque dum descenderet,
Firmo pectore ſimul descendente.

Ego ita ad verbum. Noſter *Paraphraſtem* agens, ſic: *quem proficiscentem prudentia & circumſpectio tam nunquam deſerit, ut ea ibi ſua figat tentoria, ubi ille ſua figit.* Subnectit etiam *Græce.* Πορεύεται ἐν αὐτῷ ἡ ἐγκράτεια καὶ σωφροσύνη, ὥστε γε αὐτὴν αὐτοῦ καταλύειν, ὅπου ποτ᾽ ἂν αὐτὸς καταλύῃ. Poterit ad eandem rationem omnes in univerſum verſiculos meos *Paraphraſi Latina* & *Græca* colluſtrare. Caveat tantum, ne quid, ut hic factum, de nervo deterat. Ut ſentiatur discrimen, monere debeo, particulam حتي duplici poteſtate auctam, *usque dum*, & *ita ut*. Ad poſteriorem uſum ſic ad verbum exiret, *proficiscens cum firmitate pectoris, ita ut quum descendat, descendat firmitas pectoris, ubicumque descendit.* Hoc ille prætulit. Ego nervoſius duxi, atque etiamnum duco, *proficiscens cum firmitate pectoris usque dum descendat*: nihil remittens de firmo robore pectoris, usque dum expeditionem peregerit: quin ne tum quidem ſe relaxans; quum eadem pectoris firmitas tum quum *descendit*, cum ipſo *descendat*, eidemque indivulſa comes accubet. Sic certe voluit *Merzoukius* وصفه بانه مستعمل للحزم اخذ به ظاعنا يكون

يكون اى مقبمنا وأشار بقوله ظاعن الي غزواته واسفاره وغاراته وبقوله حل الحزم حيث يحل الي شدة حذره في قامته ودوام اتقايه حتي لا ينساهم ويغفل عنهم *Describit eum tanquam qui adhibere solitus sit firmitatem pectoris, quam suam fecit, sive iter capessat, sive alicubi consistat. Innuit autem verbo PERGENS, expeditiones, itinera, & incursiones ejus: quum autem dicit; descendit FIRMITAS PECTORIS ubicumque descendit, indicat ejus circumspectionem tum quum constitisset; atque perseverantiam cautelæ ab hostibus; sic ut nuspiam vel remissum, vel socordem se daret iis.* Hoc jam ab imaginario illo *Schemate* quod Noster *Paraphrastes* sibi cudit, haud parum abludit: meamque mentem unice affirmat.

Novos ludos dare pergit cerebrosus, & راكب راسه quem vocant *Arabes*, qui *Capite* suo *vectatur*; ad *pag.* 427. ubi *vs.* 11. extat *Nona congeries futilitatum.*

مسبل في الحي احوي رفل
واذا يغزى فسمع ازل ﷺ

Promittens in Tribu nigram comam, syrma trahens.
At in expeditione Lupus clune substricto.

Ita ego; post *Taurizium*, cujus verba quoque adduxi. Hæc parum curans, quin subprimens, audacter pronunciat: sub finem p. 699. „ مسبل *non est* promittens „ comam, *sed* promittens vestem, vestem syrmatosam „ trahens, & in syrma explicans, quod est divitum, „ احوي *non est* nigra coma, *sed est* hinnulus. *Exponunt* „ *Arabici Grammatici hanc vocem duplici modo. Primo di-* „ *cunt esse* hinnulum nigris labiis & oculis. *Altero* hinnu- „ lum

„ lum nigris candidisque lineis *per vices in dorſo ſtriatum:*
„ *perinde eſt, quo tandem modo accipiatur.* Hinnulus *apud*
„ *Arabes ſignum eſt* venuſti & mollis, *atque* delicatuli *ho-*
„ *minis, qualem Poëta hic vult deſcribere. Si quis argutari*
„ *vellet, poſſet ſtrias in dorſo hinnuli, cum veſtibus, quales*
„ *in Arabia felice texebantur, ſtriatis, divitum geſtamine,*
„ *comparare. Tandem* رفل *eſt, vel qui* caudam longam
„ habet, *vel qui* ſyrma trahit, *vel qui in inceſſu* clunes qua-
„ tit, *manusque ac pedes jactat, quod ſuperbi & beati faciunt.*
„ *Emergeret itaque ex his ideis hic ſenſus iſtius Verſiculi quo*
„ *ad primum hemiſtichium,* qui in Tribu quidem (*hoc eſt*
„ *in pace, quum omnes domi* quiete *deſident*) ſyrma trahit
„ & *incedit* σαυλοπεζωκιῶν hinnulus (venuſtulus & mollicu-
„ lus.) *Et apte respondet huic alterum membrum;* at in ex-
„ peditione Lupus clune ſubſtricto. Hinnulo Lupus *op-*
„ *ponitur, & ſyrma caudamque longam trahenti, curtus cau-*
„ *da.* Homo idem, ſed diverſis temporibus, hinnulus &
„ lupus *eſt, ſane pulcra idea*".

Sobria & ſolida enarratio Taurizii.

Sic quidem ſibi thura cremat. Sed hancce laſcivam ſane petulantiam comprimet facile integer *Commentarius Taurizii* ſobrius ille, & perdoctus, quem in gratiam *Philarabum* apponam: مسبل يحتمل وجهين احدهما
من اسبال الازار والبرد لانهم يصفون ذا
النعمة بذلك وانما يحمدون ذلك في
حال الدعة والامن واما في الشدايد وعند
الحرب فانهم يمدحون الرجل بالتشمير
واذا كان مسبل علي هذا الوجه كان
احوي مرفوعا وهو الذي فيه حوة اي
سواد في الشفتين محمود والوجه الاخر
في مسبل ان يكون عاملا باحوي ويراد
به مسبل شعرا احوي اي اسود لانهم
كانوا

كانوا يوفرون لممهم ويصفون الشاب بحسن اللمة قال الراجز ۞

ان لمتي سوداء كالعنقاد ۞
كلمة كانت علي مصاد ۞

ويدل علي توفيرهم الشعور انهم كانوا اذا اسروا الفارس من المذكورين جزوا ناصيته ليفتخروا بذلك قال الشاعر ۞

وما زال معروفا لنا في قديمنا
قتال ملوك واجتزاز النواص ۞

Vocabulum مسبل *laxe promittens, recipit geminam faciem. Prima eſt; laxatio cinguli & veſtis; quoniam deſcribere ſolent iſto modo hominem affluentem divitiis, ſic autem laudant quum quies & ſecuritas adeſt. At in adverſis, belliſque, tum vero celebrant virum quod ſemet ſuccingat. Hoc pacto ſi vocabulum laxe demittens ſumatur, tum ſequens* احوي *in Nominativo accipiendum erit, deſignans eum in quo ſit CONVOLUTIO, i e. nigredo in labiis; quod laudi datur. Altera facies vocabuli* مسبل *laxe promittens, eſt, ut regat* احوي *convolutum ſive nigrum; atque deſignetur, PROMITTENS CAPILLUM convolutum* i. e. *nigrum; quoniam ſolebant largas alere comas, indeque juvenem a pulchritudine comæ deſcribebant.* Ita *Rhythmicus.*

Quum coma mea botryonis inſtar nigrior
Referret comam vitis ſuper vertice.

Priscus Arabum ritus. *Indicat quoque studium comæ alendæ, quod quum equitem aliquem ex nobilioribus captivum fecissent, ei propendulas comas præsecarent, ut materiam gloriandi. Huc tendit Poëta:*

> *Haud cessavit nobilitari de nobis inde ab antiquo*
> *Occidere Reges, & præsecare antias.*

Ex hisce palpanda jam datur hominis levitas, & jactantia, qua in gravi & masculo carmine *hinnulum* suum nobis obtrudere ausus est, cum accessionibus lascivis, quibus immorari haud lubet. Tantum submonebo desultori nostro longe aliud sedisse ad *Tarapham* p. 52. ubi *vs.* hunc adducit, & postquam احوى ex *Taurizii* prima explicatione *fuscum labiis* dedisset, nescio quo turbine raptus subjungit „*sed verus sensus loci est*

„ *Largus in Tribu, ut niger caudam trahens.*
„ i. e. *ut imber guttis gravis*".

Nempe quem suæ ventus vanitatis intus versat, huc illuc, levis instar stipulæ, etiam in publico, circumrotatur.

Decima petitio ludicra. Nullius plane momenti est, quod ad *vs.* 16. *pag.* 432. defendat رعتهم *excussisti eos*, quod in MSS. est pro quo dare malui levicula emendatione رعناهم *excussimus eos*, serie ita, ut mihi quidem videtur, exigente. Id in *Notis* indicavi. *Criticus* Noster *intempestive properatum* censet, atque illud رعتهم *increpuisti eos*, positum contendit pro ان رعتهم *si increpares eos*. Est vitilitigatio quam nemo perceperit, nisi qui *Linguæ* & *seriei* momenta omnia possit elibrare.

Debuisset saltem altius *crisin* suam ordiri, inde a *vs.* 14. ubi

ubi moneo, *continenti quatuor verſuum filo narrari audaciſſimam expeditionem quam cum Avunculo ſuo in Hudeilitas ſusceperit Poëta*, lectiſſimæ *eorum* juventuti *atrocibus cladibus inflictis*. Id malui, quamvis *Merzouk*. hanc *Quadrigam* non referat ad *juventutem Hudeilitarum*, ab *Heroë* noſtro profligatam, ſed ad *turmam*, quam *comitem* aſſumſerat expeditionis in *Hudeilitas*. Hoc minuit laudem, non ampliat. Amplificandæ *Herois* gloriæ ſubſervit meum: Alterum illud eandem obſcurat. Ad meam mentem omnino requiritur رعناهم; ad alteram illam رعتهم accommodatius. *Intempeſtive* ergo *properatum* ab eo, qui geminum adſpectum hujus *pericopæ* non obſervarat.

Aliud de lana caprina ad *pag*. 434. Taxat me ſatis aspere, quod indicare omiſerim *contractionem* quæ *ad hæc* Hamaſiana *in verbis* Tebrizii p. 304. *occurrit* بلعنبر *Balambar*: ubi inſolenter redditum cenſet, *incurſarunt in virum quendam ex* Belamberitis. „ *Nobis equidem*, inquit, *hæc* Latinitas „ *intolerabilis accidit*. *Dici debuerat*, *ex Ambaritis*. *Nam* „ بلعنبر *colliquatum eſt* ex بنى العنبر „ *Banu'l Ambar*, *Filii Ambari*, *Ambaritæ*. *Nulla fuit unquam* „ *Tribus Arabica* Belamber, *ne quem inſolens iſta verſio in errorem inducat*; *ſed* Ambaritarum *fuit* ". O lumen ſingulare Eruditionis! O aciem *Criticam*, cui nil par, aut ſecundum! vocabulum بلعنبر *Belamber*, conflatum utique ex *Benulamber*, non poteſt efferri *Belamberitæ*, ſed per *Filii Ambar* eſt reſolvendum: quoniam nulla unquam *Tribus Arabica* dicta fuit *Belamber*; ſed *Ambaritarum* tantum fuit.

Vitilitigatio ridicula.

Sunt Apinæ, Tricæque, & ſi quid vilius iſtis.

Ex *Tauriz*. probe tenebam *Arabes* ex بنى العنبر

Benou'l Ambar, *Filii Ambari*, contractius formasse بلعنبر *Belamber*; atque sic istam *Tribum* vulgo vocitatam fuisse. Idem docet *Gjeuharius* sub voce عنبر *Ambar*, بلعنبر هم بنو العنبر حذفوا النون *Belamber dicti*, *qui alias Benou'l Anber*; *Nun abjecto*. Est *popularis enunciatio*, cui me istic loci accommodare malui; quam in *minutias* hasce citra necessitatem excurrere. Non in *Taurizium commentationem* instituere, sed in Poëtam, animus erat.

Probioris notæ crisis.

Ad *pag.* 440. laudo, quod jam per sane modeste moneat, me versui 24. *non recte vocales adscripsisse*, & *pro* حللتها Halaltoha ila, *legendum* esse Hallalat-ha li. Ad meam lectionem dederam,

Licitum feci illud vinum usque ad gladios, & *hastas* &c.

Ad hancce, haud paulo liquidius fluit

Licitum fecere illud vinum mihi gladii, & *hastæ*, & *equi* &c. &c.

Codex MS. quoque, unde versiculum huncce inseruisse me monui, huic Lectioni propior, proniorque; quum disertim exhibeat لي *mibi*; ut huc quidem concedere nullus dubitem.

Fœda iterum intemperies.

Toto cœlo errat iterum; quin præcipiti cursu fertur, quum *pag.* 461. *vs.* 2. *pravam Lectionem Codicis mibi imposuisse* ait. Non unus, sed tres mei *Codices* eam sanciunt: eandemque exigit sententiæ ipsius dignitas. Est sane splendida gemmula, magnanimam commendans patientiam injuriarum ei, qui ad gloriam emergere cupit. Versus sic habet;

وان

وان هو لم يحمل علي النفس ضيمها
فليس الى حسن الثناء سبيل ۞

Quod ſi quis non ſuscipit ſuper animam injurias,
Tum nulla ei ad pulcram laudem via eſt.

Ex *Taurizio* ſubnotaveram, id velle Poëtam, *non poſſe pervenire ad gloriam, qui adverſa & ingrata tolerare nequit.* Nil planius. Contaminare tamen audet tam nobile dictum, legendum pronuncians

فليس الى حسن الثناء سواه سبيل ۞

Nam non eſt ad pulcram laudem, præter hancce, via.

Ferocis indolis indicium.

Hoc eſt, *injurias non pati, ea ſola via eſt ad veram gloriam.* Semet prodit forex, & *ferociam* arguit indolis adeo non *patientis injuriarum*, ut per *eaſdem* ultro etiam *illatas* ad gloriam ſibi graſſandum eſſe exiſtimet. Qui *Arabice* intelligunt illud سواه hic tam importune intruſum ſentient, ut *Sententia*, *Lingua*, & *Metron* ſimul vapulent. Ne vel minimum relinquatur hæſitationis, *Merzoukius* apponendus quoque يقول ان الرجل اذا لم يحمل ظلم نفسه عليها ولم يصبر علي مكارهها فليس له طريق الي الثناء الحسن وهذا يشير الي كظم الغيظ واستعمال الحلم وترك الظلم والبغي مع ذويه والصبر علي المشاق واهانة النفس في طلب الحقوق لان من تعود هذه الاشيا علا ذكره وحسن ثناوه *Hoc dicit; quum quis*

quis non suscipit in se injuriam, neque patientem se præbet adversus ea quæ aversatur anima ejus; tum sane nullam ei viam patere ad laudem pulchram. Innuitur ergo, comprimendam esse iram, & adhibendam mansuetudinem; & omittendam injuriam atque ferociam adversus suos: itemque patientiam exercendam in adversitatibus; quin submittendam esse animam, quum ad jura sua pervenire postulat: quoniam qui hæc facere assuevit, ejus memoria nobilitatur; & laus enitescit. Inspiciat in speculum hocce Noster, & vel ab *Arabe* monitus, Humanos tandem sensus induat. Quid in *Metron*, & *Linguam*, sit commissum, periti ultro discernent.

Superba fastidia optimi. Imperiosum, quod *pag.* 485. *Vs.* 15. substituere jubet ad postrema,

Neque retinebat fletus meum brachium.

In *Arabico* est,

وما جزعت وما هلعت ولا يرد
بكاي زندا ع

Neque impatiens fui, menteve perculsus. Neque enim ploratus meus vel hilum juvisset.

Tauriz. ita commentatus: quum vox زند *cubitum* signet, & *focile*, sive *lignum aridum*, unde *ignis exteritur*; fuisse, qui ex priore usu exsculperent, *neque repellebat fletus meum cubitum*, quo minus officium sepulturæ præstaret, scilicet. Hoc damnat *Commentator* ille tanquam durum, & abhorrens, atque diserte monet زند *focile* pro *hilo* frequentatum, unice hic quadrare. Verba, quibus usum *Lexicis* incognitum affirmat, produxi in *notis*. Quod *Tauriz.* abjecerat, Noster reponit: atque ita reponit, ac si dubio foret

ret exemtum: atque in me culpa hæreret. Ignorantiam hominis, & arrogantiam ſimul retundat etiam *Merzoukius*, ſub cujus clypeo nonnunquam latitare velle videtur:

Ea confutata & retuſa plenius.

وقوله ولا يرد بكاي زندا كان بعض الناس يرويه زيدا وزعم انه اخ له — فاما من روي زندا فبعض الشيوخ كان يقول اراد ولا يرد بكاي شررة فذكر الزند واراد ما يخرج منه عند القدح واحسن من هذا ان يكون ذكر الزند تقليلا لعايدة الحزن او تكلفه عند ما دهمه من الفجيعة وهم يستعملون الزند في هذا المعني كما يستعملون الفوف والنقير والقطمير والفتيل وحكي ابو زيد انهم يقولون اذا تقللوا مال الرجل زندان في مرقعة وهذا المعني حسن والشاهد له قوي ورايت في بعض النسخ ولا يرد بكاي ردا وهذا حسن ايضا والمعني لا يغني بكاي شيا

Quod dicit Poëta; non retuliſſet ploratus meus Zenda, pro eo quidam legunt Zeyda, *quem ajunt fratrem ei fuiſſe. Circa prius quidam Doctores ſtatuunt, per* Zenda *focile, intelligi* ſcintillas, *quæ ſcilicet e focili exiliunt, quum terebratur*; (per *eas* figuratur interior *triſtitia*, mentem exedens) *ſed pulchrius eſt, ut commemorarit* focile, *ad contemnendum morem lugendi, ſi & ipſe eum ſuſciperet, ad grave damnum, quo oppreſſus jacebat. Uſurpant certe hoc ſenſu* Zend, *focile; ut pelliculam oſſis dactyli, ſcrobiculam, ciccum, bilum. Abuzeidus quoque auctor eſt, eos quum alicujus rem volunt extenuare, dicere, duo ei focilia ſunt, cum veſte interpolata. Hic ſenſus pulcherrimus; cui teſtis adeſt proba-*

batiſſimus. In quibusdam exemplaribus vidi exaratum, Redda, *quod item opportunum:* hoc ſenſu; *Neque enim ploratus meus quicquam profuiſſet.* Eat nunc Noſter, atque *brachium* ſuum officioſiſſimum *Philarabibus* oſtentet.

Sceptrum Criticum oſtentatur.

Ad *pag.* 510. *Vſ.* 3. ſceptrum quatiens *Criticum*, mirifice ſibi placet, & plaudit. „ *Excidit ex Codice Viri Cel.* „ *vox* اكف *poſt vocem* نهي, *ex Merzoukiano inſe-* „ *renda. Idem Codex pro* ضارج *habet vocem* واسط. *Utra le-* „ *ctio præferenda ſit in medio quidem relinquemus. Id tamen* „ *notabimus, ſi admittatur poſterior* Merzoukiana, Waſeth, „ *multum detrahi antiquitati hujus Carminis, quod Cel. Vir* „ *p.* 514. *naſcenti Muhammedi æquiparat. Nam* Waſeth „ *demum A°.* 146. *poſt ejus nativitatem condita fuit; adeo-* „ *que foret illud Carmen ea Epocha ad minimum* 150. *an-* „ *nis poſterius. Utcumque ſit, id certum eſt,* illud, de quo „ agitur, *Carmen, edito Alcorano, id eſt, morte Muham-* „ *medis poſterius eſſe; quandoquidem in eo Phraſis occurrit,* „ *ex Alcorano hauſta, & quæ aliunde hauſta fuiſſe nequit.* „ *Nempe* Loricæ *in eo appellantur*, textura (*vel* inventio „ textoria) Davidis ".

Ejus formidoloſa moles.

Qui hominem *Panoplia* velut *Critica* a capite ad calcem indutum hic conſurgere cernit, neſcio quæ ſpolia Opima de me deportatum iri ſuſpicabitur, quamvis vix quicquam in univerſa hac periodo intelligat. Ut quid *Cataphractarius* hicce velit, dijudicari queat; ſciatur primo agi de duobus in *Arabia* locis *Darigia* & *Nibja.* Pro poſteriori in *Cod. Merzouk.* extare ait نهي الاكف *Nibja Alakof.* Verum eſt; & videram: ſed tanti non erat; quum ne hilum quidem afferat. Verum quoque pro ضارج in eodem *Codice* legi واسط *Waſit*; ſed omittere non debuiſſet, ad marginem adſcriptum ibidem ويروي ضارج وهو ما لبني عبس

Le-

Legitur etiam Darigia, quæ eſt aqua Abſitarum. Inde, quum *Taurizius* expreſſerit *Darigiam*, dubium eſſe nequit, quin واسطا *gloſſema* ſit, nominis recentioris pro antiquiore, ut fieri aſſolet. Modeſtus interim ſubdit, „ *ſe in medio relinquere, utra lectio præferenda ſit* ".

Suſpicionem tamen mox, vel ſic, ſpargit contra *Carminis* hujus Antiquitatem: eidemque graviorem adhuc plagam injicere conatur ex *Phraſi Vſ.* 6. *Aſtuta prævaricatio.*

Loricasque e textura Davidis *compactiſſimas.*

Hanc ex *Alcorano hauſtam* aſſeverat; addens inſuper, *eam aliunde hauriri non potuiſſe.* Dictatorie. An adeo inter *Arabas* ignotus *David?* an *Salomo?* ut non niſi ex *Alcorano* potuerint noteſcere. An non magna *Judæorum* copia, deletis rebus, in *Arabiam* demigrarat? Præfracta hæc; & eo usque violenta, ut vel ſua omnia vaſtatum ire velle videatur; dummodo mihi aliquid noxæ, ut putat, ferat. Atqui nec tulit, nec unquam ferre poterit, quantumvis me undique circumfremat.

Sit Carmen illud multo quoque recentius, quam ipſe tendit. Quid tum poſtea? & quid hoc ad meum Syſtema? Vanam ſine viribus iram talia arguunt, & qui me tam turbido impetu impugnant ſcilicet, ſemet expugnant ſimul & exarmant. Obſervare utique debuiſſet noſter *Lynceus*, notam inſignem *Antiquioris ætatis* ex *Vſ.* 4. ubi ad vocabulum خارجي *præſtrenuus*, ſubmonuit *Tauriz.* ante *Iſlamismum* iſtoc uſu viguiſſe; ſed deinceps aliam notionem induiſſe. Hoc *nota* mea ulterius declaravit. Ad *Vſ.* 5. clariſſima quoque indicia altioris ævi prodita. *Cæcitas voluntaria.*

Sed quid tandem ſibi vult futiliſſima hæcce cavillatio? & quorſum tendit telum tam allute jactum? Ecquid ſolli- *Maligna molimina hominis.*

licitare nititur, quod de *Antiquitate* veneranda plurimorum *Carminum*, quæ in *Anthologia* noſtra comparent, in *Præfatione* præſtruxi, ad deſtruendam male ſanam illam, & ſexcentis abſurditatibus cumulatam criminationem, de *Dialecto Arabica novicia*, & *degenere*, quæ in tenebris graſſans, cum *Muhammede Arabum Legislatore* Linguam hanc ſubnatam ſibi confingit, vel ſaltem *Monumenta* quæ ultra *Pſeudo-Prophetam* adſcendant, nulla admodum in orbe extare obſtinatius contendit. Extremum hocce *ignorantiæ* ſimul & *inverecundiæ* refugium expugnavi *Tom.* II. *Orig. Cap.* VI. p. 152. & *ſeq.* collato *Cap.* V. p. 123. &c.

Homo meus, qui vetera iſta monumenta non oculis ſolum uſurpavit, meis in ædibus, verum etiam manibus verſavit, atque adeo ſupellectilem ſuam *Orientalem* largiter inde inſtruxit, & adornavit, non eo usque quidem frenum momordit, in contumaciamque ſe effudit, ut in dubium revocare audeat iſtam *Antiquitatem*, præque manibus nobis eſſe talia documenta neget: ſed tamen jam a longo id ſecum volutare, & vapido pectore fovere cœpit, ut quantum ſine manifeſto flagitio poſſet, tantum de *vetuſtate* detraheret illorum ſcriptorum; atque *Univerſæ Hiſtoriæ Arabum* ante *Muhammedem* noctem offunderet, non ſolum, ſed eam tantum non ex Tabulis

Ea altius repetuntur. temporum eraderet, atque deleret. Moliminis hujus præludia, jam *prologo* ad *Tarapham*, quem me plane inſcio imprimi curavit, intexta; *pag.* XXI. Citat ibi *Nuweirium Tom.* V. ſect. IV. c. 5. de *bellis paganorum Arabum:* atque criſi in eum deſtricta, huc evehitur ventoſæ impudentiæ: „ *Attamen ut verum dicam, ex quo tomum hunc tractavi,* „ *magis in Hiſtoria Arabum fui turbatus;* & *OPINIONE* „ *mea, olim MAGNIFICA, de Antiquitate illius Hiſtoriæ,*

Ventoſæ voces. „ *dejectus*". Majores deinde ſpiritus ſumens, ſubtexit. „ *Sufficiat hoc pro ſpecimine, quo appareat, in Arabum ve-*

„ *te-*

„ *tere Historia caute procedendum illi esse, qui eam excutere,* „ *UT EGO, constituit.* Ἥκω ἐπὶ τόνδε στέφανον, ἀλλὰ πῶς „ λάβω; *Adeo Chronologiæ neglectus illos, ceu vasto mersos* „ *Oceano, rapit in transversum, ut temere vagentur, quasi* „ πλοῖα ἀνερμάτιστα, *& inter se collidant* ". Follem spirare, quivis facile agnoscat. Inflationem levis punctiuncula comprimet. *Pag.* xx. conquerebatur etiam de vesano calculo *Nuweirii*, vel potius *Ibn Hamedoun*, cujus e fonte ille hausit, „qui *Dsi Nowaso*, *ultimo Regi* Homei- „ ritarum *attribuerit* 260. *annos*, *quibus elapsis* Æthiopes „ *in* Arabiam *irruperint*, *triginta annis ante* Muhamme- „ dem ". Ad hæc tanquam *Oestro* quodam percitus, ita flagellum *Criticum Chronologo* isti incutit: „ *Insano ne-* „ *quam, quum hæc effutiret,* &c. *cerebrum, credo, concu-* „ *tiebat Asilus,*

Turgida follium inflatio.

„ *Asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis*
„ *Diffugiunt armenta, furit mugitibus æther.*

„ *Hunc tibi fratrem concilio, Chronologorum consummatissi-* „ *me, Trimalcio, qui Nioben Trojano Dædali equo & Cas-* „ *sandræ filios includis; & Ilium ab Hannibale captum do-* „ *ces, vafro homine, & magno scelerone* ". Vesanæ profecto *Paratragœdiationes* in errore non *calculi*, sed *calami*, commotæ, quum vitiosissima sit Lectio *Codicis* hujus *Nuweiriani*, in quo portentum illud مايتي *ducenti* sine ullo dubio corrigendum in مانيف *circiter*, ut hicce existat computus وكان ملكه ما نيف وستين سنة *Regnumque ejus circiter sexaginta annos duravit.* Sunt iidem ductus literarum, ما سى omissis punctis *Diacriticis*, quæ plurimam partem absunt ab hoc, aliisque MSS. Inde ما نيف *circiter*, plenio-

Portentum lectionis tollitur.

ri jure exſculpas, quam مائتي *ducenti*, quod in mendo cubare vel cæcus cernat. Hoc mendum tam turpe, tamque palpabile ſimul, neutiquam fugere potuit Noſtrum, qui in *Catalogo* Regum *Joctanidarum*, apud *Meſoudium* ſaltem, *Dſi Nowaſo* adſcribi viderat سبعا وثلثين سنة *ſeptem & triginta annos.* Apud *Hamza Ispahanenſem* reperio tantum كان ملكه عشرين سنة *Regnum Dſi Nowaſi duravit viginti annos.* Adjecit idem umbras tantum Regum *Dſi Jaſan*, & *Dſi Giadan*, qui contra *Æthiopes* reliquias obtinuerint ما نيفا وستين سنة *CIRCITER ſexaginta annos.* En Fontem erroris! De eo in *Notis* ad *Regnum Joctanidarum* latius diſſeretur. Ætas autem *Dſi Nowaſi* ab eodem *Chronologo* figitur in Regno *Phiruzi* ſive *Perozis*, filii *Jesdegerdi* II., qui inter ultimos *Perſarum* Reges paucis modo annis *Muhammedis* natales anteceſſit. Hæc quum ita a *Chronologis Arabum* conſtituta haud ignoraret, ſaltem ignorare non deberet, qui *Orbi Arabico*, quoad *Hiſtoriam* utique, humeros ſuos ſubjectare decreverat, ἥκων ἐπὶ τόνδε τὸν στέφανον, *Nuweirio* tamen *prodigioſam* iſtam *Lectionem* 260. annorum affricare ſuſtinuit; ut inde *Orbi Erudito* fucum faceret, atque ante *Muhammedem* nihil certi de *Arabum* rebus conſtare, aſtutiſſime inſinuaret: ſe *Magnifica* olim *opinione*, quam *de Antiquitate illius Hiſtoriæ conceperat*, dejectum dictitans. Futiliſſimum enimvero mortalem! qui ſolo flatu ſe disjecturum autumat *illuſtre* illud *ſpecimen Hiſtoriæ Arabum*, quod *Pocokius*, medio ſeculo præcedente, in lucem dedit. In eo notitiam aperire cœpit *Regnorum* veterum, & recentiorum ante exortum *Muhammedis*, quæ inde ab ultima memoria inter *Arabes* extiterunt: qualia ſunt *Joctanidarum* illud in *Arabia Felice*, multo Antiquiſſimum, unde Re-

Fons erroris.

Pocockii laus immortalis.

Regina Austri ad *Salomonis Sapientiam* propius explorandam accessit: Regnum item *Giorbamidarum* in *Arabia* deserta: nec non posteriora illa *Lachmitarum*, *Hirensium*, *Gassanidarum*, Regum, qui fere inter *Christum* & *Muhammedem* intercesserunt. Horum non exactissimum quidem, & omnibus numeris absolutum, conspectum nobis exhibuit Celeb. *Pocokius*, ea tamen in medium contulit, cum monumenta vetustatis, tum firmamenta veritatis, quæ cuncta illa Regna inter *Arabes* obtinuisse, haud patiantur addubitari; quamvis circa *Chronologiam* laboretur, atque inter *Historicos* haud parvus sæpe dissensus reperiatur.

His defectibus nullius gentis paulo vetustior exemta memoria est.

Quam non vasto velut Oceano jactantur, & fluctuant, Res *Assyriorum*, *Medorum*, *Persarum*, *Babyloniorum*, *Phœniciorum*, *Ægyptiorum*, aliorumque veterum Populorum? Quam non *Græciæ* status priscus infinitis fabulis interlusus? Ne ipsius quidem *Historiæ Romanæ* Fontes e limpido fluunt; & prima præpotentis Urbis incunabula non nisi per densissimam nebulam adspiciuntur.

Vetustissima quæque laborant.

In hæc jam non ulterius excurro. Suus iis locus, suum assignatum tempus est; quum *Historiam* evulgabo *Imperii vetustissimi* Regum *Jemanensium*, sive *Joctanidarum*, cum *Accessionibus Philologicis*, & *Criticis*, quibus id *corpusculum* adornabitur. Ex aliquot Auctoribus id a me concinnatum; *Abulfeda*, *Hamza Ispahanensi*, *Nuweirio*, *Taberita*, & *Mesoudio*. Hæc totidem distincta constituunt membra. Suus singulis præfixus Titulus, quem *Francicum* vocant. Tribus quidem prioribus, is quem supra posui, *Historia Imperii vetustissimi Joctanidarum* in *Arabia Felice*. Primus *Abulfeda* nudum tantum Catalogum exhibet illorum, qui Regnum illud tenuisse narrantur; sine calculo *Chronologico*: subjecta hac quoque ingenua submonitione; *Non*

Historia Imperii Joctanidarum a me collecta.

Ex Abulfeda.

 ad-

addidimus spatium quo quisque eorum regnavit, quod hac in parte certa deficiat fides. Dixit propterea Auctor Chronici gentium, nullum Chronicon magis laborare, quam Regum Homeiridarum illud. &c.

Ex Hamza Ispahanensi. Is Auctor est *Hamza Ispahanensis*, e cujus *Libro, Chronologia gentium*, excerpsi *Caput octavum, exhibens seriem Chronologicam Homeiritarum, Regum Arabiæ Felicis.* Sub finem reperietur prudens illud monitum, quod *Abulfeda* inculcabat.

Hoc jam non *Sceleton* tantum offert, sed enarrationem nervis quibusdam, & observationibus satis curiosis, contextam. Dignum *Opusculum*, quod cum *Orbe Literato* communicetur.

Ex Nuweirio. Tertium locum occupat *Nuweirius, Hamza Ispahan.* multo copiosior; quippe qui *Compendium* quoddam *Historicum* confecerit *Rerum* a *Regibus Jemanensibus gestarum*, ex multis Auctoribus digestum. Hoc a me excerptum ex majori *Capite*, quod a *Nuweirio* inscriptum: *Historia Regum Arabiæ, & præsertim Regum Joctanidarum. Accedit Historia Diluvii Sabæi.* Ego instituti mei memor, eodem *Titulo Francico*, quem ibidem prænotandum curavi, me adstrinxi ad *Historiam Imperii Vetustissimi Joctanidarum in Arabia Felice*; extra quos Limites non exire decreveram.

Ex Taberita. Quartum membrum cumulatius adhuc processisset, si mihi tam fortunato esse licuisset, ut integram *Historiam Universalem* Principis inter *Arabes* Historicorum *Taberitæ* possideret Bibliotheca nostra publica. Nunc e *secundo* tantum *Tomo* magni operis exhibere potui, *Historiam eversi Imperii Joctanidarum in Arabia Felice*, per *Habessinos*: unde de reliqua Viri accuratione, ac scriptione, judicium ferri poterit. Venient, spero, qui *Universam* istius *Imperii Historiam* ex copiosissimo hocce Fonte in lucem exproment.

Quin-

Quintum membrum subnexui ex *Mesoudio*, qui eandem *Catastrophen* itidem curatissime executus, adjecit quoque *Historiam Diluvii El Arim*, sive *Aggeris*, per quod *Regnum Sabæum* in *Arabia Felice* est subversum. Hoc quum vel ex *Nuweirio*, ad inscriptionem *Capitis* supra laudatam, vel ex *Mesoudio*, edere constituissem, ad posteriorem potius inclinavi, quippe qui *Nuweirio* adhuc plenior esset; quin ex quo *Nuweirius* ipse suam hanc narrationem, ut ipse disertim profitetur, hausisset. Jam ante biennium *Opuscula* hæc in lucem exire debuissent; nimis diu sane & tracta, & compressa: sed prodire sine commeatu nolebant; i. e. sine *Philologicis & Criticis Observationibus*, quæ eis tutum a grassatoribus iter præstarent, atque *generatim* saltem huic potentissimo *Sabæorum* & *Homeiritarum Regno*, in *Joctani* posteris conservato, atque per *Æthiopes* demum, regnante *Justiniano*, subverso, fidem adstruerent, etiamsi *speciatim* nec de *Rebus* eorum *Gestis* multum constare, nec *Chronologicus calculus* ad liquidum perduci possit.

Ex Mesoudio.

Corpusculum illud necdum EDITUM.

Quis jam crederet, *Scriptis* ita a me verecunde custoditis, vim inverecundissime illatam quasi intra meas ædes, & quidem a mearum ædium Alumno? Vah facinus! cui quid nominis imponendum sit, arbitrentur alii. Mihi rem simpliciter *Orbi Erudito* exposuisse suffecerit. Anno præterito munus *Professoris Ling. Arab. Extraord.* in *Academia Lipsiensi* auspicaturus Noster a. d. XXI. *Aug.* emisit, *Programmatis* vice, *Dissertationem* de *Arabum Epocha Vetustissima* SAIL OL AREM, i. e. *ruptura cataractæ Marebensis* dicta. Non ignorabat inter *Opuscula* illa *Arabica*, quorum dimidiam partem fere, quum ulterius necdum processum esset, hinc abiens, a *Lusacio* nostro abstulerat, etiam isti *Diluvio* locum esse assignatum. Hoc quidem nihil est. Jura vigilantibus scripta. Licebat Cursori

Scripti inediti jura violata publice.

fori me prævertere. Sed ecquid etiam licebat me calumniari, inspectante *Academia Lipsiensi?* Ecquid fas erat, ut quum *Plagiarium* ageret, *Hamzam* meum compilans, etiam *Falsarii* nota semet commacularet? Vide, & cense. Laudat *Dissert.* illius *pag.* 11. *Nuweirium* citatque quod *Cap.* IV. *Sect.* IV. *Tom.* V. exponat „ *Historiam Regum Joctanidarum in Arabia Felice*, simulque „ *promittat mantissam de Diluvio Sabæo.* Tum me arripiens, Cl. *Schultensius*, inquit, *inter Opuscula Arabica*, „ *Regnum illud Vetustissimum spectantia, etiam hoc quartum* „ *Caput* Arabice & Latine *edidit; a p.* 48. *usque ad p.* 93. „ & *quidem sub hoc Titulo. Historia Regum Arabiæ &* „ *præsertim Regum Joctanidarum. Accedit Historia Diluvii* „ *Sabæi* ". Præstigias facit, & bis, ter, circulatorum deterrimus, fallit. Non est ille *Titulus meus*, sed ipsius *Nuweirii:* quem Ego, ut meo scopo adhærerem, ita contraxi, & *Titulo Francico* præfixi: *Historia Vetustissimi Imperii Joctanidarum in Arabia Felice ex Nuweirio.* Ne Verbulum quidem ultra additum. Iterum fallit, & fumum offundit, quum ait, *me Caput illud quartum* Arabice & Latine *edidisse.* An *edidi*, quod *INEDITUM* adhuc domi contineo? An quicquid *typis* descriptum, eo ipso *Editi* nomen occupat? Falsissimum quoque me *totum* istud *Caput Arabice*, & *Latine* vel *edere* voluisse. Amputavi, ut *Titulus* meus indicat, *Historiam Regum Arabiæ* reliquorum; quam ibidem *Nuweirius* executus; quod ampliorem istum campum necdum ingredi constituissem. Vide jam modestam & honestam hominis Crisin, *pag.* 11. „ *Sed ne* „ *quem in errorem inducat HÆC INSCRIPTIO, neque Historia Regum Arabiæ in genere HIC reperitur; neque Historia Diluvii Sabæi; sed sola Historia Regum Joctanidarum.* „ *Alteram, DILUVII nempe NARRATIONEM hic dabo* „ *ex Codice Leidense, e quo* Cl. Schultensius *cetera prodidit*, „ *hanc*

Facinora inaudita.

Præstigiæ, & vaframenta, quibus Orbi Erudito *illusum.*

„ *hanc quam INSCRIPTIO promittit, NON DEDIT*". Acetabula verſat, & oculos præſtringit improbiſſimus mortalis.

HÆC INSCRIPTIO: i. e. *Nuweirii* illa, non utique *mea*. An ergo *Nuweirius* iſto *Capite* non reddidit *Hiſtoriam Regum Arabiæ in genere?* An non *Diluvium* quoque *Sabæum?* Proh artes, & illuſiones! Et qua tandem fronte addidit: *Schultenſius cetera prodidit, hanc, quam Inſcriptio promittit, non dedit*. An ergo jam ultima manus *Opuſculis*, quæ ſublegerat, a me erat impoſita? Abſtulit tantum, ut dixi, folia quædam, quæ ultra *pag.* 93. non procedunt. Mea *collectio* integrum implet *Alphabetum*, atque ad numerum 182. excurrit; *Hiſtoria Diluvii Sabæi* viginti duas paginas occupante, & quidem ex *Meſoudio*, unde *Nuweirius* ipſe ſua minus plene & emendate transſcripſerat. Non rationis erat Fontem ipſum relinquere, ut rivum conſectarer. Nil promiſeram in *Titulo* meo, *Nuweirianis Excerptis* præfixo: & liberum mihi erat, credo, vel mutare conſilium, ſi aliud mihi antea forte ſediſſet. Omnia, ut apparet, malitioſæ & miſeræ plena ambitionis, ut meis exuviis ornatus novum munus auſpicaretur. *Doli male ſuti.*

Forte violatæ Fidei ſemet abſolvet homo, quod *pag.* 21. illius *Diſſert.* de *Diluvio Sabæo* hancce notulam ſubtexuerit. „ *Ex iis, quæ ex NUWEIRIO, & ex HAMZA, tanquam E-* „ *DITA hic citabo, ſemper allegabo paginas Libri de Regno Jo-* „ *ctanidarum, quem Cl. Schultens magna quidem ex parte con-* „ *fectum & a typographis abſolutum habet jam dudum; non-* „ *dum tamen VULGAVIT. Quod ut propediem faciat,* „ *magna ſpes eſt*". Nempe ita ſe lavat, neſcio quid affectans ingenuitatis, ut magis etiam ſemet contaminet. Quod ego *nondum vulgavi*, ille *evulgat* flagitioſiſſime, atque *per ora Orbis Eruditi traducit*. Quod ego *magna ex parte confectum habeo jam dudum*; id ille ut *confectum*, ſuiſque numeris *abſolutum*, carpit, lacerat, vexat. Quid eſt *apertularium* *Macula lavando turpior facta.*

Q a-

agere & *effractorem* in *Civitate Literaria*, si hoc non est?

Fœdo abortui dies dicitur. Reliqua quæ abortivo hocce *Schediasmate* miscuit, omnique malignitate consperſit, necdum attingo. Quum *Opuscula* illa, quorum dimidia circiter parte, tam vecordi audacia, abusus fuit, a me ipso provulgabuntur, etiam Nidulum istum, in quo ignorantia, petulantia, arrogantia, & profanitas, de palma decertant, penitius introspiciendum dabo.

Atque hæc quidem hactenus; ne quem fugeret, quorsum ferantur tela illa, quæ subinde ejaculatur, quum Antiqua *Arabum* monumenta in suspicionem devocat; atque *Universam* eorundem *Historiam* ante *Muhammedem* densissimis tenebris involvere allaborat.

Prodigium teneritatis & audaciæ, Redeo ad filum *Recensionis* p. 702. ubi postquam *vitium Typographicum, quod tirones implicare posset*, benigna manu levasset ad *pag. 516* ita ad *pag. 525. vs.* 11. assurgit, ut *Colossum* quendam *Arabicum* mentiatur. *Hamasæ p. 525. vs.* 11. dedi,

Non enim is sum, vitam qui vilitate emerit
Neque qui scalam metu mortis escenderit.

Ad hæc ille. „ *Recte quidem quoad verba; sed sensus laborat:* „ *quem nota subjecta illustrare studet. Ea integra sic habet.* „ Pulchræ phrases. Prior per se lucet, posterior lucis „ indiga. *Mortis metu scalam adscendere*, sensu literali ad- „ fert, *in arborem erepere*, vel *aliud latibulum*, in quod „ quasi *per scalam evadatur.* Sensus *sublimior* & *Allegoricus* „ in *scala* offert *gradus cognationum* vel & *necessitudinum.* „ Hanc *scalam* mortis metu *adscendunt* qui *gratiam* implo- „ rant ob *sanguinis conjunctionem*; vel qui fingunt, se *par-* „ *cere* velle *necessariis*, cum *sibimet parcant*, & *pugnam* „ metu mortis *detrectent.* Commentatores mei hic pumice „ aridiores ". Tandem aliquando à se impetravit, ut *integram*

gram apponeret *notam* meam. Non vereor, ut quisquam ab ea, tanquam procul arceſſita, reſiliat. *Scala* iſtoc uſu omnibus in Linguis contrita. Noſter tantum pro ſuo illo ſapientiſſimo palato, „ *Fatemur*, inquit, *hæc tam ſublimia* „ *& Allegorica eſſe, ut aſſequi nos quidem non valeamus*". Quid? An *ſcalam cognationis* non aſſequitur? Num ergo ex nemore aliquo, aut neſcio quo ſaxo, proſiluit Terræ filius, ut nullos *cognationis* aut *neceſſitudinis gradus* internoſcat? Addit porro: „ *Quod de commentatoribus queritur Vir Cl. id* „ *ſæpe non magis in* Arabicis, *quam in* Græcis *&* Latinis „ *uſu venit. Scholiaſtæ ſæpe nos biantes deſerunt; ſæpe nu-* „ *gas & fumos vendunt; quamvis etiam viciſſim ſæpe tam e-* „ *gregiam præſtent operam, ut absque illorum facula nihil vi-* „ *deremus. In hoc ergo loco nos deſerunt; quod inde factum,* „ *quia non perſpiciebant ſcriptionem vocis* سلما *quoad* „ *literas quidem recte habere, at vocales pravas adſcriptas* „ *fuiſſe: non enim* سُلَّمًا *ſullama legi oportet, ſed* سَلَمًا „ ſalama. *Pulchra phraſis eſt* (*cujus veſtigia vir Cl. ſubodora-* „ *tus quidem fuit, at non perſecutus*) metu mortis ſalamas „ adſcendere: ſalama *eſt arbor ſpinoſa*, *quaſi totum* ſentice- „ tum *referens; inacceſſa, intractabilis; qua propter etiam ei* „ *homo* difficilis, aſper, ferox, *comparatur*". Non erat cur *nugas* & *fumos* objiceret *Merzoukio*, ac *Taurizio*, ventoſiſſimus nugator, nil niſi *bullas* proflare ſolitus.

Omni *bulla* certe inanior hæc emendatio. Verum eſt, سلم *ſalam* eſſe *arboris ſpinoſæ ſpeciem*. Verum, per eam figurari poſſe *hominem aſperum*, *ferocem*, *intractabilem*, qualem Noſter gerit. Sed vide jam quam pulchre exeat; *Neque metu mortis ferocem* aut *intractabilem hominem adſcenderim*. Quid iſtuc eſt ſartaginis? ne infima quidem plebs tale quid effutiat. Non exputo, cur mihi quicquam hinc affricet? Egone ut *veſtigia* tam inficetæ phraſeos *ſim odoratus*, *ſed non*

Ridicularium quid ventoſiſſime venditatum.

non perfecutus! Integram fervet tantæ laudem fagacitatis: cujus ne tenuiffima quidem aurula me inpertitum velim. Sui interim non immemor, pro firmamento adducit, quod in *notis* ad *Tarapham* produxerat *pag.* 107. ubi „ *asperam* „ fuam *indolem*, & *injuriarum impatientiffimam*, ac *plane* „ *intractabilem*, comparare ait Poetam cum duabus *fpinofis* „ *arboribus*, *famara* & *falama* dictis, *quas non fine dolore* „ *quis tetigerit.*

„ *Meas famaras nemo cupiet forcipe præcidere*;
„ *Neque meæ falamæ circumjecto fune detrahentur.*

„ i. e. *nemo me impune attigerit*, *certe non domarit* ". Quam magis adftruere laborat male hiantem fenfum, tam magis eundem deftruit, atque explodit ipfe. Plaudit interim fibi, ita pergens „ *SCILICET*, *ut perbibet* Al Meidanius, „ *neceffe eft*, *fi quis extirpare* falamam *velit*, *ut eam funi-* „ *bus circumjectis*, *quam fieri poteft arctiffime*, *conftringat*, „ *alias enim absque læfione attingi nequit. Arbor itaque tum* „ *poteft quidem hominem abfcondere*, *quia valde denfa ramis* „ *& dumetofa eft*; *fed & nemo fe illuc abdere poffit*, *quin* „ *veftes cutimque miferum in modum laceret* ".

Mifera confufio. Eft cumulus confufionis, qua femet tanquam in dumetum induit, & implicuit. *Salama*, ut ipfe præftruit, eft Emblema *Hominis indomiti & fpinis horrentis*; quem *nemo tangere*, nedum *violare*, fuftineat. Ad *talem* qui *confugerit*, utique *tutum* & *inacceffum* occupavit *Afylum*. Argutulus Nofter hoc toto cœlo divergere fentiens, fubito arripit, *Neminem illuc fe abdere poffe*, *absque ut veftes cutimve laniet*. Quid tum? An *veftes* & *cuticula cariores ipfa vita?* Hoc quidem violentum: præfertim fi figuratus teneatur adfpectus, in quo *fpinetum* fignat hominem *præpotentem*, & *a nullo violandum:* de quo Proverbialiter effertur اشتدت شوكته in-

invaluit ſpina ejus: vel قتادة *tragacantha ejus.* Per *ſpinam*, ut *Tauriz.* ad *Hamaſa* notavit, hac in formula deſignantur *arma*, *robur*, *vis & virtus bellica.* Ad tale *robur aculeatiſſimum* qui confugerit cliens; *non miſerum in modum* ab eo *laceratur;* ſed valido gaudet perfugio.

Faceſſat proinde improba emendatio illuc, unde malum pedem intulit. Faceſſat improbior adhuc illatio „ *Proverbialis ergo & ſymbolica eſt locutio*, metu mortis in ſalamam erepere, *idem notans atque, omnia vel* duriſſima, „ *vel* viliſſima admittere *& pati malle, quam mori; quod* „ *ſane vilis & minuti eſt animi: dicit ergo Poëta: Ego is non* „ *ſum, qui vilitate vitam emerit, neque qui metu mortis* (& „ inhoneſto ſtudio vitæ) *in ſalamam* (aculeatam arborem) „ *adſcendat*". Næniam repetit, ac ſi *Epinicium* decantaret; quum nihil repugnantius ſit Genio Linguæ, & Naturæ emblematis.

Si *Symbolica* illa *locutio* ارتقى السلم *Escendit* *Emblema ſpinæ ad*
Salamam, alicubi extaret, nihil aliud Stylo *Arabiæ* ſonare
poſſet, quam *in ſupremum eniſus eſt culmen potentiæ.* Hoc *potentiam*
vel ab ipſo producta exempla pervincunt, de *ſamara* & *formidoloſam.*
ſalama, ſpinoſiſſimis arboribus, *formidoloſæ* & *inviolabilis*
Fortunæ Emblematibus, ad *Tarapham* p. 170. Omnes Poëtæ hàc imagine delectantur. *Amrou ibn Kelthoum* in *Moalleka*,

وشذبنا قتادة من يلينا ع

Et decorticavimus tragacantham eorum, qui nobis vicini.

Hoc eſt, *formidoloſam eorum potentiam infregimus.* Sic *Schol.* هو تمثيل اي اذهبنا شوكتهم فصاروا بمنزلة هذه الشجرة التي قلعت اغصانها *Eſt Allegoria, quæ valet, deſtruximus eorum ſpinoſam vim; ita ut redierunt ad conditionem talis arboris, cui revulſi ſint rami.* In *Hamaſa* item *Modarriſus*

 ونغل

ونفل شوكتها ونفثا حميها ع

Et infringimus eorum ſpinetum; vimque ignitam ſedamus.

Formula Proverbialis. Subnotavit ibi *Tauriz* جعل الشوكة كناية عن السلاح والقوة جميعا *Facit ſpinam figuram armorum & potentiæ ſimul.* Plura congerere nil attinet. Verbulo tantum ſubmonebo, hinc ortum *Proverbium* خرط القتاد *decorticatio tragacanthæ*, pro *difficultate inſuperabili*, cujus *nodi* ſimul, ſimul *ſpinæ*, *infringi nequeant.* Sic ad *Hamaſa* iterum *Tauriz.* قال الشاعر دونها خرط القتاد تشتد شوكته *inter hanc rem*, quam votis expeto, *eſt decorticatio tragacanthæ*, *cujus ſpina vehementiſſima.* In *Hiſt. Tamerl.* p. 339. ولكن بينه وبين المراد خرط القتاد *ſed inter eum*, *& inter votum ejus*, *intercedebat decorticatio Tragacanthæ.* Ad iſtum adſpectum ارتقي القتاد *escendit Tragacantham*, nil aliud valere poſſet, quam, *difficultatem*, *quæ invicta videbatur*, *ſuperſcandit.*

Vindicatur genuina Lectio, & ſententia. Et hoc iterum immenſum quantum a mente *Poëtæ* noſtri deflectit; cujus oculus unice in *ſcalam* & *gradus cognationis* defixus. Id, ne totum jam carminis filum evolvam, vel *Merzoukii* nota ad *vſ.* 9. inculcare debuiſſet; quum ait: *Hoc vult. Findimus capita virorum*, *qui alias Honorati nobis & cariſſimi*, *propter ſacratiſſima jura antiqua*, *& cognationes*, *& neceſſitudines* &c. Idem clare conſignatum *vſ.* 10.

Nempe poſtquam vidi amorem nil proficere;
Aggreſſus rem ſum, *quæ foret diſſecantior.*

Hoc eſt: quum viderem *homines cognatione ſanguinis nobis adeo conjunctos nolle concedere amori noſtro*; *decrevi vel vincere iis occiſis*; *vel mori ab iiſdem occiſus.* Huic forti dicto mox ſubnectitur,

Non

Non enim is sum, vitam qui vilitate emerit;
Neque qui scalam metu mortis escenderit.

Negat se *injurias a consanguineis illatas* ultra perpessurum: negat *scala cognationum*, quæ inter bello collisos intercederet, *se usurum*, ad præsentissimum mortis discrimen evadendum: ut *gratiam imploret*, *vitamve* sibi *donari* postulet, *ob necessitudinem sanguinis.* Nil animosius. Nil etiam pro formula loquendi *simplicius in hac serie*, aut cuivis magis expositum, qui modo communi sensu polleat. Hac de causa *Commentatores* mei *pumice hic aridiores.* Nempe sicco pede transiere, quod nemini non promtum. *Tauriz.* tamen verbulo interferit الاسباب *necessitudines*, & *causas cognationum;* quum ait يقول فعلت ذاك لاني لست ممن يطلب العيش مع الصبر على الذل ولا من يرتقي في الاسباب خوفا من الموت *Hoc vult: patravi hoc, quod non essem ex iis, qui vitam quærit subeunda & toleranda vilitate, neque etiam ex iis qui adscendunt per necessitudines, sive causas cognationis, præ metu mortis.* Nil pressius, & siccius simul. Cur? Quia res erat *quotidiana* quasi, & nemini non obvia. Certe verbum رقي *scandendis scalis* dicatum. *Gjeubar.* رقيت في السلم اذا صعدت وارتقيت مثله والمرقاة بالفتح الدرجة وبكسرها الالة التي يعمل بها وترقي في العلم اي رقي فيه درجة درجة *Verbum Raka, pro Rakaja, in SCALA protritum, quum quis adscendit: sub prima & octava præsertim specie. Indeque Marka per phata, est gradus; & Mirka per kesra, instrumentum ipsum, quod scansioni adhibetur. In V. specie dicitur, in scientia, Terakka, quod est, escendit eam gra-*

Adſcendere ſcalam.

gradatim. Apparet phraſin eſſe familiariſſimam ارتقي السلم *adſcendit ſcalam*; *gradatim per eam proceſſit.* Hæc variis apta figuris. In *Hiſt. Tamerl.* p. 211. رام لارتقاء سلما فدرج *Petiit, ut ſcanderet, ſcalam, ac gradatim evectus eſt.* Hoc eſt, *ſocias amicorum manus* & *opes* ſibi *comparare ſtuduit*, ut *culmen potentiæ obtineret.* Latiore & generali adſpectu *ibid.* p. 302.

وما الدهر الا سلم فبقدر ما
يكون صعود المرء فيه هبوطه ❁
وهيهات ما فيه نزول وانما
شروط الذي يرقي اليه سقوطه ❁

Non eſt ſane ſeculum niſi ſcala; in qua quantum
Adſcenderit quiſquam, tantum poſſit deſcendere.
Apage ergo id, quod deſcenſum recipit; namque
Conditiones ejus qui ſcandit, ſunt, ut decidat.

Habes iterum رقي *ſcandere* cum سلم *ſcala* connexum. Propius ad noſtrum ſcopum *Hariri Conſ.* 39. وافضينا الي قصر مشيد له باب من حديد ودونه زمرة من عبيد فناسمناهم لنتخذهم سلما الي الارتقاء وارشية للاستقاء *Et pervenimus tandem ad alte ſtructum palatium, porta ferrea munitum; ſub quo turba verſabatur famulitii. Eosque blande compellavimus, ut eos caperemus SCALAM ad adſcendendum, & FUNES ſitularum ad aquam hauriendam.* Habes *ſcalam* pro *interceſſoribus*, qui *benignam opem* præſtarent, ad gratiam potentis Domini conciliandam. Proximum & completiſſimum illud *Zobairi* in *Moalleka*, *vſ.* 46.

ومن

وَمَنْ هَابَ أَسْبَابَ ٱلْمَنَايَا يَنَلْنَهُ *Celsa figuratio.*
وَلَوْ رَامَ أَسْبَابَ ٱلسَّمَاءِ بِسُلَّمِ

Quique metuit necessitudines Fatorum, assequentur eum,
Etiamsi necessitudines Cœli appetat Scala.

Hoc est, *vel divino satu editus*, sive *nobilissimus quisque, moriatur necesse est: ac proin le Mors haud metuenda.* Admirabiliter dictum, *necessitudines Cœli petere Scala*; pro *cognationem prætendere cum Cœlestibus & Divinis Viris, immortalitatisque jura inde sibi arrogare.*

Quam profundus sit in lectione horum Poëmatum, qui tam falso *Orbi Erudito* se ostentavit, haud secus atque graculus gemmatam caudam explicans in *Prologo* ad *Tarapham*, vel hinc judicare liceat. Deprendi certe, *illam Scriptionem* plus quam *Juvenilem*, petulantius adhuc exultare, quam *primum* illud sui *Prologi exemplum*, quod mihi censendum obtulerat. Ego, quum in eo summam intemperantiam, & vanitatem, cum ferocia indomita conjunctam, regnare cernerem, pro meo in eum jure jussi, ut *Vulcano* eum traderet, atque novum conscriberet, in quo nec *Professorem Lipsiensem νῦν ἐν μακαρίταις*, Amicum mihi Honoratum, & quicum mihi literarum intercedebat commercium, Scorpionis aculeo feriret: nec reliqua sui pectoris vitia, turpia non minus, quam ridicula, enudaret. Paruit homo meæ monitioni, sed ita paruit, ut qui recalcitrare, ac frenum abrumpere decreverat. Nempe illum *Prologum*, in quo venenum maligni pectoris recoxerat, & conduplicarat adversus Amicum meum *Lipsiensem*, illius quoque in *Acad. Lips.* Doctorem in *Arabicis*, non ante oculis usurpandum mihi dedit, quam quum *Libellus* ipse

Graculus pavonem agens.

Facinus turpissimum.

ipſe in lucem ſimul emitteretur. Novo hoc abortu perlecto, indolui; atque potiſſimum exarſi ad impurata illa, quibus Venerabilem Senem, & Profeſſorem, ſuumque olim Præceptorem, conſpurcavit: *pag.* XXXII. Ad hunc locum legendo progreſſus, confeſtim hominem ad me evocavi, Eique meis ædibus interdixi. Ibi tum ille dolere, ſcelus agnoſcere, ſemet damnare, deprecari; alia facere, quæ molliendæ forent indignationi, & interdictioni. Quid multa? Transmiſſum eſt, quod revocari non poterat; ea lege, ut Honorando Seni ſatisfaceret. Si integra res fuiſſet, Portentum illud renovari *Prologi*, æque ac *prius*, diem videre nunquam fuiſſem paſſus. Nunc contumacius repagula per illud effracta, & perrupta eſſe, ignorari nolo; ne quis ſuſpicetur, me tam ventoſam, & turgidam, *Præfationem* comprobaſſe; quemadmodum & *Editionis* illius rationem, ac proceſſum, in quo nubes & inania captat homo Faſtoſiſſimus, ſemper improbavi.

In Profeſſ. ejus Lipſienſem patratum ſcelus.

Caſtigata improbi *Critici* audacia, qui etiam quos legit, quos compendioſe delineare voluit Erudito Orbi Poëtas, non intellexit, in gyrum revertor, atque in Verſu *Zoheiri* obſervari velim pulcherrimum luſum ex ancipiti, quem præbet vocabulum اسباب *funes*, *nexus:* nam اسباب المنايا *nexus Fatorum* aliter reſonant, aliter اسباب السماء *nexus Cœli:* quemadmodum *Latinorum* quoque *neceſſitudines* ſe utrique adſpectui accommodant. Hinc, *petere nexus Cœli Scala*, feſtive conformatum a Poëta, ad *gradus cognationis* illius *Cœleſtioris*, quibus forte quis ſuperbiat, oculis ſubjiciendos.

Pulcher luſus ex Ancipiti.

Longum agmen claudat, & firmet, animoſiſſima triga *Poëtriæ* كندية *Kenditidis* in *Hamaſa* laudatæ;

هوت

هَوَتْ أُمُّهُمْ مَاذَا بِهِمْ يَوْمَ صُرِّعُوا
بِجَيْشَانَ مِنْ أَسْبَابِ مَجْدٍ تَصَرَّمَا ۞
أَبَوْا أَنْ يَفِرُّوا وَٱلْقَنَا فِي نُحُورِهِمْ
وَأَنْ يَرْتَقُوا مِنْ خَشْيَةِ ٱلْمَوْتِ سُلَّمَا
فَلَوْ أَنَّهُمْ فَرُّوا لَكَانُوا أَعِزَّةً وَلَاكِنْ
رَأَوْا صَبْرًا عَلَى ٱلْمَوْتِ أَكْرَمَا ۞

Admirabilis in mentem nostram contextus.

Periit Mater eorum! quantum in iis, die quo ſtrati ſunt,
In Giaiſchana de nexibus Gloriæ diſciſſum eſt!
Abnuerunt, ut fugerent; quamvis haſtæ in jugulis,
Utque motu mortis Scalam adſcenderent.
Quod ſi fugiſſent, vel ſic fuiſſent Honoratiſſimi;
Aſt vero judicarunt Mortem fortiter ſubiiſſe, Honoratius.

Pingitur *gemina acies Fratrum, tam vehementibus animis colliſa, ut nulla pars, vel haſtis in jugulum defixis, pedem referre voluerit, aut memor fuerit, quanta inter eos neceſſitudo, & ſanguinis, & gloriæ, communis, intercederet; glorioſius ducentes omnes, leto occumbere in campo Martis, quam vel fugere, vel Scalam adſcendere*; h. e. *Fraternitatis* & *cognationis meminiſſe*, atque illius reſpectu *a mutua cæde temperare*. Vidit *Roma*, vidit *Pharſalia*, tales acies; ubi *jura* omnia *naturæ* violata, ac diſciſſa.

Sarcinulas jam ſuas colligat *Arabs Lipſienſis*, atque nullum ſe eſſe in magnis Auctoribus enucleandis recognoſcat.

R 2 Con-

Stuporis & ignorantiæ novam specimen.

Confidentia interim ſua hominem, quantumvis nudum, non deſerit. Ad *pag. 519. Vſ.* 4. ſic unguem *Criticum* mihi infigit: „ *In reddendo Vſ.* 4. *obfuit Viro Clariſſ. prava Lectio, quam in ſuo Codice aut habuit, aut ſibi viſus eſt habere* بجمعهم: *ſed rectum eſt* يجمعهم ". Expendamus. Certiſſima eſt *Lectio* بجمعهم *in collectione eorum*; i. e. *tum quum in aciem collecti ſunt.* Eam ita explanat *Tauriz.* والباء من بجمعهم يتعلق باشعالها اى بالحرب العوان *Illud* Be ب *in voce* بجمعهم *redit vel ad vocem, flammatio earum: vel ad bellum contumax.* Hoc ergo dubitationem nullam admittit. Ne *Syntaxis* quidem aliud patitur. Comparemus. Mea Verſio ſic habet

> *Gens mea Filii ſunt belli contumacis, quum in aciem collecti ſunt;*
> *Et nobiles gladii, & haſtæ iis flammantiſſimæ.*

Ille ſubſtituit:

> *Gens mea ſunt Filii belli contumacis. Congregat eos*
> *Et gladios, & haſtas, accenſio ejus.*

Vertiginosa hominis caligatio.

Tantum *luminis* adfert ſplendida emendatio يجمعهم *Congregat eos*, ut præ fulgore, ubi ſit, & quid *Poëta* dicat, nemo nunc diſcernat. Nil mirum; ipſe præ tanto ſplendore vertiginem & *ſcotomata* patitur. Ita quippe pergit. „ *Accenſio ejus, nempe* belli. *Arabes* bellum *comparant cum flamma & rogo; materiam ipſi pabulumque faciunt* haſtas ligneas, & corpora *hominum cæſorum* ". Nunquam vidi ſenſum ſublimiorem. Poëta laudans *ſuam gentem*, tanquam *bellicoſiſſimam*, & late *victricem*, diceret, *eos congre-ga-*

gari, & *gladios*, & *haſtas*, *ut fiant materies* & *pabulum belli*, atque *haſtæ* eorum *ligneæ* una *cum corporibus cæſorum concrementur*. Unicum enimvero *Parnaſſi Arabici* alumnum! & dignum, qui *Laureatus* incedat! Ne forte aberraremus a tam præluſtri figura, ſubjicit ibid. „ *Dicit* „ *ergo: Gens mea ſunt bellicoſi homines*, *quos*, & *ipſos* & „ *ipſorum gladios atque haſtas*, *in unum locum* (*in uſtrinam* „ *nempe belli*) *cogit*, συναγείρει, *ejus* (*belli*, *ſeu rogi bellici*) „ *accendendi negotium* & *neceſſitas* ".

Fortes profecto bellatores! qui & *ſe ipſos*, & *gladios*, & *haſtas* ſuas *ligneas* ferant *in uſtrinam belli*, ut *Rogi bellici*, *quem ſibimet accenderunt*, fiant *materies* & *pabulum*, atque cum *corporibus* & *armis ſuis conſumantur*.

Omnes, quibus ſanum ſinciput, in hoſtes ut tale *Uſtrinum* expetat, optabunt; neque de tæterrima clade, tanquam de victoria ac triumpho gloriabuntur: nedum ut materiam laudis pro ſua gente inde captitent.

Excellentior uſus verbi ACCENDERE.

Quum quærerem, quid tandem hominem meum adeo transverſum egiſſet, ſuſpicatus ſum glaucoma ei offuſum per *Lexica*, quæ ſub verbo شعل in I. & IV. *ſpecie* dant, *accendit* ignem, *incendit*. Inde *rogum bellicum*, & *uſtrinum ſuum* inſubide arripuit: quum ego, pro interiore potentia Linguæ, *gladios* & *haſtas flammantiſſimas* inde elicuiſſem. Adfirmetur; ne quid anſæ relinquatur cavillis. *Iſpahanenſ. Hiſt. Salad.* ſolito cothurno, in deſcriptione prælii; واشعلوا الخرصان في ليل النقع عوض السرج & *ACCENDERUNT CUSPIDES haſtarum in nocte pulveris bellici loco lampadum.* Hoc eſt, *flammantiſſimis haſtis*, *denſum inter pulverem*, *colliſi utrimque fuere.* Iterum elatius adhuc وقد انارت من مشرعات اسنتنا في ظلماء نقع خيلنا مشعلات السرج *Atque reſplendebant ex cuſpidibus haſtarum noſtra-*

rum protensis, in nocte obscura pulveris equorum nostrorum, flammantissimæ lampades. Grande item illud Ejusdem مجر ملتهب الجوانب مشتعل القواضب.

Flamma gladii Fulgur hastæ.

Numerosus exercitus micantissimus laterum, & flammantissimus gladiorum: hoc est, *cujus arma omnia flammeum splendorem late oculis ingerebant.* Illustris hæc *figura* etiam *Nah.* 3: 3. occurrit; ubi לַהַב חֶרֶב *flamma gladii*, & בְּרַק חֲנִית *fulgur hastæ*, formidolosam aciem complent. Item *Deut.* 32: 4. שַׁנּוֹתִי בְּרַק חַרְבִּי *exacui fulgur gladii mei.* Plura congerere nil attinet. Idem jam splendor orationis in إِشْعَالُهَا *flammatio earum;* supple *est*, *adest*: pro إِشْعَالٌ لَهَا *flammatio iis.* Sublimiorem *syntaxin*, grandiori stylo convenientissimam, & in *S. Codice* quoque reperiundam, non assecutus homo, omnia susque deque invertit.

Puerilis criminatiuncula depulsa.

Ad *pag.* 548. porro *Vs.* 2. in vitio *typothetarum* iterum fortitudinem suam exercet; nisi quod *dubium* facere conetur an non meum potius sit erratum; qui pro ارحل, quod in MSS. extat, maluerim ارجل. „ *Certe* „ *miramur*, inquit, *a Viro Cl. hoc laxe versum fuisse* genti, „ *prorsus suppressa ista vitiosa voce; quod alias non ita so-* „ *let. Ad verbum foret* in tentoria, (*vel* sarcinas, *aut* im- „ pedimenta,) gentis ". Nox *Crisi* huic incubat atra. Ut diem faciam, locus ipse promendus

تركنا فتي قد ايقن الجوع انه
اذا ما ثوي في ارحل القوم قاتله ❀

Terræ mandavimus Virum, quem experta sensit Fames
Esse Eum, quum infesta genti incumberet, Famis jugulatorem.

Phra-

Phraſis ثوي في ارحل القوم ad verbum ſonaret, *divertit in ſellis*, vel *ſarcinis populi.* ارحل eſt *plur. fr.* a رحل *ſella camelina*, item *ſupellex*, ac *ſtrata*, ejusdem *ſarcinæ*. Dandum ergo fuiſſet, *quum diverteret in ſarcinis gentis*. Hoc laxius reddere malui, *quum infeſta genti incumberet*; quod ita mihi ſatis commode videret amplitudinem locutionis *Arabicæ* repræſentare, quæ per *ſarcinas gentis* innuit *gentem univerſam*. Ego, *famem in ſarcinas gentis divertiſſe*, haud placiturum judicans, dare potuiſſem *univerſæ genti incumberet*; ſed potentius haud dubie, *infeſta genti incumberet*; ad *univerſæ gentis calamitatem* & *famem* conſignandam. Fallitur quum ارحل القوم ſimpliciter *genti* redditum cenſet. Ad uſum vocabuli propius internoscendum, paucula expromſiſſe e re fuerit. *Hariri* Conſ. 19. وتحثثنا الارتحال الى ملتقى الرحال *Et properavimus migraturi ad locum ubi ſellæ camelinæ erant conjectæ*: vel, *ubi ſarcinæ erant depoſitæ*. Iterum *Conſ.* 29. فقضيت رحيلي وجمعت للرحلة ذيلي *Et collegi ſarcinulas meas, atque ad migrationem lacinias meas adſtrinxi.* رُحَيْلٌ eſt *diminut.* a رحل, quod *Lexicis* hinc inſerendum. Grandi figura *Zobeir* in *Moalleka Vſ.* 40.

حيث القت رحلها ام قشعم

Ubi projecit ſarcinas Mater mortis.

Hoc eſt, *ubi incubuit veluti omnis moles bellica*: nam, monente *Scholiaſte*, deſignat Poëta موضع شدة الامر *locum ubi vehementiſſime pugnatur.*

Fi-

Ultimum ſtuporis & vecordiæ exemplum.

Finis tandem coronabit opus; atque omnem præcedentem ſtuporem cum arrogantia conjunctum complebit. Ad *pag.* 577. *vſ.* 5. pulcra ſententia

Nec tamen in lentitudine mea eſt cur Tu properes,

ita a me fuit declarata; *non eſt quod properes in injuriis mihi inferendis*, *quia ego lentus*, *lenis*, *patiens.* Hunc ſenſum ſeries univerſa *Carminis* exigit; atque tam diſertim inculcat, ut ne quidem illud legiſſe debuerit homo meus, nedum expendiſſe. Suo more ergo, tanquam e Tripode, „ *In fine vſ.* 5. *verba ſonant ſic:*

„ *Non eſt in lentitudine mea id*, *quod tu properas.*

„ *Id eſt. Id*, *quod tu a me ſtudes per impetuoſitatem extor-*
„ *quere*, ὃ σὺ σπεύδεις *(ut nempe tibi par pari referam*; *te vi-*
„ *ciſſim vexans*, *ut tu me vexas) id a mea moderatione non*
„ *obtinebis* ". Hoc adverſa fronte pugnat cum mente Poëtæ, qui ſe *lentum* quidem pingit ad iram, ſed ita, ut *tarditatem* iſtam *gravitas vindictæ* ſit compenſatura. Vide modo *vſ.* 6. 7. 8. plenos comminationis: præſertim *vſ.* 9. 10.

Tu vero ſi æquum te haud præſtes Fratri, *reperias eum*
Super ora extrema diſcidii, *ſi quidem ſapiens ſit:*
Et invehet ſe acie Gladii, *quo minus ei infeſtus ſis*;
Si non fuerit a mucrone Gladii locus receſſui.

Orationi in *tert. perſona* conceptæ ſemet utique includit; quin ſemet ea deſignat quam modeſtiſſime. Mox dein *vſ.* 11. 12. *prima perſona* uſus, ita ſe infert

Ego

Ego quidem, si sodalis me sollicitare discupit,
Malumque rependit, pro bono quod impenderim;
Obverto ei dorsum clypei, neque tolero
Injuriam longius, quam ut vertam me.

Formula *Dorsum clypei* alicui *obvertere*, promta est *in inimicitiis post amicitiam susceptis;* vel pressius, *in depulsione* earum *injuriarum*, quæ ab *homine*, *beneficiis* a nobis *cumulato*, inferuntur. Is antea veluti sub *clypeo* nostro & *præsidio* agens, postquam *impugnare* cœpit suum *protectorem*, *dorsum clypei* sibi *obversum* experitur, ut ejus ingrati insultus retundantur.

Formula pervulcra, obvertere clypeum.

Cum tam *ingrato* atque *importuno* mortali mihi rem esse, universus orbis Literatus & jam ante agnovit, & nunc cumulatius recognoscit. *Clypeus* propterea ei *obvertendus* fuit tandem, postquam a longo tela in me cœpit ejaculari, primum per cuniculos, mox apertius, per alienum latus meum jugulum petens.

Hæc omnia interim, neque *ob malevolentiam aliquam*, *neque ob ambitionem*, *sed in PHILARABUM GRATIAM: OB AMOREM COMMUNIS BONI: OB STUDIUM AUGENDÆ REI LITERARIÆ.*

Poteſtne quicquam vel impudentius, vel arrogantius, vel & in totam *Remp. Literarum* insultantius, ex cujusquam ore emitti?

Jactabundæ voces hominis sese penitus ignorantis.

Homo malevolentia & ambitione ita turgens, ut tantum non crepet ac dissiliat, ab istis vitiis sese intactum jactitat!

Homo qui *Arabicæ Linguæ* nucleum ac medullam nunquam degustavit; qui corticem tantum ac putamina circumrosit; qui universo illo assultu, quo *dentem* suum *Criticum*, quem vocat, in *Notas* ad *Hamasa* exercuit, incredibilem prodidit ignorantiam, temeritatem, vecordiam,

S ma-

malitiam, se *Philarabas* demereri gloriatur, tum quum *decora* & *ornamenta Linguæ* extinguit, magnificosque *Poëtarum* sensus præflorat, contaminat, dehonestat.

Homo, qui *commune bonum Ecclesiæ*, Ejusdemque *præsidium* ac *Firmamentum* vetustissimum, *Linguæ Hebrææ studium*, a quo semper abhorruit, cujusque ne Limina quidem unquam contrivit, is homo, nunc subito *Mystagogum* ejusdem mentitur, qui in penetralia ista sacratissima quam altissime introspexerit.

Homo denique qui in Lucem perduellis, sub tenebris grassari decrevit, eumque in finem atra caligine cuncta involvere gestit, is etiam Literato orbi *studium Rei Literariæ augendæ* venditabit; seque *Aptiorem* huic *operi quam sint alii*, ostentabit!

Palmæ profecto lemniscatæ, sed palmæ Gladiatoris profligatissimi; qui sola invidia & malignitate armatus, sola ferocia & contumacia animatus, semet omnibus mihi plagis confodiendum, & conficiendum, objecit.

Adjicere insuper ausus est miser, *se adminiculis gaudere, quæ paucis in promtu sint, quorumque copiam ei ipse* Schultensius *fecerit olim.*

Turpissima jactatio! atque adeo prostitutio sui! qua latrocinium adversus Altorem studiorum suorum susceptum profitetur, atque universæ *Europæ* oculis ultro ingerit.

Gratia, qua a me cumulatus fuit. Ego, sic par erat, expectaram, ut *Adminiculis istis*, id est *MSS. Codicum lautissima copia*, & *supellectile ditissima*, quam ei meis in ædibus subministravi, quin exscribendam procuravi aliquot spatio annorum, expectaram, inquam, ut istis *adminiculis* & præsidiis instructus, *Literaturam Orientalem* aliquando ornaret, atque cum dignitate tueretur.

Eum in finem quoque, ut sæpiuscule insinuatum, ei identidem Auctor eram, ne in vanum curreret, sed cum

Ara-

Arabica Dialecto consociaret ejusdem sorores *Hebræam*, *Chaldæam*, *Syriacamque*, indivulso vinculo connexas: quod sic demum *Academiis* cum fructu insigniore posset admoveri, ubi per *viam Regiam* ad Provinciam *Professoris Linguarum Orientalium* commaturuisset.

Contumacia, qua paternis consiliis aures occlusit.

Ad hæc paterna consilia & monita cum hominis mei aures obturatas deprenderem, ignorans adhuc aversationis istius fontem atque Originem, eum eatenus sibi permisi, ut beneficia ei mea non occluderem, neque subsidia denegarem, quamvis nil præclari nostra in palæstra ab eo expectandum cernerem: fore saltem sperans, ut *Clitellarii* vicem, & officia, sacrorum nostrorum studiosis præstaret; atque edendis in Lucem *Libris Arabicis*, cum successu adhiberi posset.

Nunc vereor, ne & hæc spes ad nihilum mihi reciderit. Ea certe signa dedit *orbi Erudito*, quæ *Literaturam ejus Arabicam* infinita vanitate sufflatam arguant, in qua stupor simul & turgor sese mutuo præcipitent, atque in perpetuas impellant ruinas.

Scenicum Exodium.

Atque hæc quidem hactenus ad primæ aggressionis, qua in *Novam Editionem Grammaticæ Erpenianæ* invectus est, importunitatem contundendam. Bellius tamen est, & facetius, totius *Fabulæ Exodium*, quam ut non hic quoque conspiciatur. Videlicet *Typographum* etiam meum guttula quadam respersum voluit, haud suspicatus hunc esse *Lusacium* nostrum *juniorem*, ipsum illum, qui anno præterito *Lipsiæ* agens, atque hominis fortunas miseratus, beneficam ei manum porrexit, opem & operam in edenda *Historia Universali Abulfedæ* quam liberalissime pollicitus. Turdus semper sibi malum. Nesciebat se munifico suo protectori, & novo patrono, plagam injicere, quum ita scabilla concrepant, atque aulæa tolluntur: „*Impressio satis* „ *est nitida; regnat tamen in* Arabicis *excudendis GUSTUS*

Turdus sibi malum.

„ *aliquis, ut appellant, GOTHICUS: Literas per interjectas* „ *quasi TRABES, ut rustici BOVES INDOMITOS so-* „ *lent, segregare affectavit, quisquis ille fuit, TYPOGRA-* „ *PHUS. Qualis species cum se obtutui nostro primum offer-* „ *ret, in mentem veniebant illa* Periclis *celebrata μακρὰ σκέ-* „ *λη, quæ* Athenas *olim* Piræeo *jungebant*„. Inficetissimum, sed tali *Critico* dignum, scomma, *Typographo* meo, juveni neutiquam illiterato, prout ipsi videbitur, depellendum relinquens, hic bona tua venia, Excellentissime *Menkeni*, strigabo, atque paululum interquiescam; novum mox cursum resumturus adversus *Recensionem Commentarii mei in Proverbia Salomonis.*

In Recensione Comm. *in* Prov. *flagitiosius adhuc ruit, claudicator luscitiosus.*

In ea *nasum* adversus S. *Codicem*, cujus ne *Linguam* quidem unquam discere dignatus est, ita surrigit, ut sibi supremam quoque in Fontes *Hebræos* censuram arroget; & *sacra* ac *profana* juxta habens, omnes Characteres *Sannionis improbissimi*, quos *Salomon* in *Proverbiis* suis toties ad vivum expressit, repræsentare nostris hisce diebus, atque cumulatissime adimplere, reperiatur. Ut *Religio* & Sacrorum dignitas, cum *vera Eruditione* Tibi intime cordi sunt, Vir Excellentissime, ita *Larvam Vulpi*, in utrumque *orbis Literati* decus *grassaturam publicam* paranti, deripi, lætus spectabis; Eique mecum occurrere, ad insanos impetus refrenandos, nullus dubitabis. Dabam Lugduni in Batavis a. d. x. *Sept.* MDCCXLIX.

E R-

E R R A T A.

Pag. 1.	v. 7.	ad	*l.* ab.
10.	7.	poscit	*l.* poscit, attigi;)
27.	2.	hominis	*l.* homines.
41.	31.		*l.* inprobissimis.
89.	ult.		*l.* accingamur.
97.	10.		*l.* accingebam.
	16.		*l.* illigatum.
	29.		*l.* in *improprium.*
122.	in lemm. sec.		*l.* *temeritatis.*